EDITORES:

VICTOR STEFFEN LADISLAUS STRZELECKI

CONSILIUM EDITORUM:

VITOLDUS KLINGER, POSNANIAE — CASIMIRUS FELIX KUMANIECKI, VARSOVIAE — GEORGIUS MANTEUFFEL, VARSOVIAE — THADDAEUS SINKO, CRACOVIAE

COMMENTARII EDUNTUR ADMINISTRANTUR:

WROCŁAW, ul. SZEWSKA 49
UNIWERSYTET, INSTYTUT FILOLOGII KLASYCZNEJ

EDITORES:

VICTOR STEFFEN LADISLAUS STRZELECKI

CONSILIUM EDITORUM:

VITOLDUS KLINGER, POSNANIAE — CASIMIRUS FELIX KUMANIECKI, VARSOVIAE — GEORGIUS MANTEUFFEL, VARSOVIAE — THADDAEUS SINKO, CRACOVIAE

COMMENTARII EDUNTUR ADMINISTRANTUR:

WROCŁAW, ul. SZEWSKA 49
UNIWERSYTET, INSTYTUT FILOLOGII KLASYCZNEJ

Z księgozbioru
Polskiego Towarzystwa Filologicznego

WYDAWNICTWO POLSKIEGO TOWARZYSTWA FILOLOGICZNEGO

Nakład 600 egz.	*Druk rozpoczęto w maju 1952*
Stronic druku 171.	*Druk ukończono w czerwcu 1952*
Papier bezdrz. satyn. 80 g 70×100	*Zam. nr 95/51 — F-2-11590*

WROCŁAWSKA DRUKARNIA NAUKOWA

s. III a. Chr. n. amplexus est, quem terminum iam a Jerramio[12] et Usenero[13] acceptum esse commemoravit eorumque auctoritatem contra Carolum Praechterum[14] in discrimen vocavit, qui Drosihnium[15] secutus *Tabulam* saeculo I post Chr. n. vindicavit, qua in re etiam Wilamowitzius[16], Kondyles[17], Sacellarius[18] eum praecesserunt. Opinio Praechteri hodie praevalet[19] una cum opinione *Tabulam* coloribus Stoicis et Cynicis pictam esse, ad quos Praechter et Nestle etiam neopythagoricos vel veteres pythagoreos admiscent.

Nos quidem secundum ea, quae in inscriptione huius dissertationis promisimus, praecipue lineamenta Platonica in *Tabula* quaeremus, sed prius testimoniis iam a Iac. Gronovio eius editioni (Amstelodami 1689) praefixis denuo examinatis tempus *Tabulae* accuratius definire studebimus.

Gravissimus genuinae opusculi lectionis testis[20] codex Parisinus s. XI (**A**) titulum cum auctoris nomine omisit, fortasse ut eum secundis curis ornate suppleret, aut propterea, quod eius archetypum anonymum erat. Nomen auctoris in codicibus deterioris notae prodit, quorum qui integerrimus est cod. Vaticanus s. XIV (**V**) hunc titulum exhibet: Κέβητος πίναξ πάνυ ἀναγκαῖος καὶ ὠφέλιμος, Parisinus autem s. XVI (**C**) hunc: Κέβητος πίναξ Θηβαίου. Sine patriae designatione auctorem *Tabulae* Lucianus Samosatensis primum in dialogo de *rhetorum praeceptore* (§ 6) commemoravit, quem post „divortium" cum Rhetorica factum (i. e. mox post a. 165) composuit[21], tum in epistula senili (ca a. 185) *de mercede conductis* (§ 42). Priore loco legimus: ἐθέλων δέ σοι

---

[12] In editione Oxoniensi a. 1878.

[13] Apud C. Conr. Muellerum, Philol. Rundschau 4 (1884) p. 1422 sq. Cf. L. Streisenberg, *W kwestii Pinaksa Kebesa*, Sprawozd. gimn. pol., Kołomyja 1914.

[14] *Cebetis Tabula quanam aetate conscripta esse videatur*, Marburgi 1885; cf. Archiv f. Gesch. d. Philos. 11, 1898 p. 510.

[15] *Die Zeit des Pinax Kebetos*, Neustettin 1873, haesitat inter s. I ante Chr. n. et s. I post Chr. n.

[16] Iam in libro de Antigono Carystio p. 293; cf. *Gr. Lit.* p. 230.

[17] Τίνος Κέβητος ὁ πίναξ, Ephem. Philom. 26,2, Athenis 1878, p. 183.

[18] In praef. editionis suae, Athenis 1880.

[19] Cf. e. g. Ueberweg-Praechter, *Grundriss d. Gesch. d. Philos. d. Altertums* 1920, p. 509. 525, cum bibliographia p. 191. 242; Arnim, art. *Kebes*, RE 11 (1921) p. 102—105; Christ-Schmid, *Gr. Lit.* II 1[6], p. 367 sq.; Zeller-Nestle, *Grundriss* d. *Gesch. d. griech. Philos.* 13, 1928, p. 333.

[20] De codicibus v. Praef. editionis C. Praechteri, *Cebetis Tabula*, Lipsiae apud Teubnerum 1893.

[21] De tempore v. T. Sinko, *Symbolae chronologicae ad scripta Plutarchi et Luciani*, Rozpr. filol. PAU 67, 1947.

EOS

COMMENTARII
SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORUM

EDITORES

VICTOR STEFFEN LADISLAUS STRZELECKI

Volumen XLV 1951
Fasciculus 1.

WRATISLAVIAE 1952

DE LINEAMENTIS PLATONICIS IN CEBETIS Q. V. TABULA

Scripsit

THADDAEUS SINKO

Quicumque Cracoviae in colle Vavelo renovatum palatium quondam regium visitat, diutius in splendido oeco secundae contignationis commoratur (quae habitatio a capitibus humanis e ligno exsculptis et in cistulis lacunaris collocatis appellationem „sub capitibus" accepit), ut praeter alias res visu dignas coronam (seu mavis zophorum) admiretur, qua superior parietum pars sub ipso lacunari per totum ambitum ornata est. Quid significet tanta multitudo figurarum in parietibus pictarum, ex inscriptione comperimus, qua totum agmen clauditur. Id epigramma novem distichis elegiacis compositum habet hunc titulum: *Tabulae Cebetis Cursus human(a)e natur(a)e per Rudolphum Agricolam*, nec noc annum, quo pictum est tota imagine confecta, subscriptum: MDXXXIII. Mallemus quidem pro nomine auctoris epigrammatis pictoris coronae nomen ex inscriptione cognoscere, quam coniecturā assequi. Vagam antea coniecturam ad certum Christina Popiel[1] redegit demonstrando picturam ultimum opus esse „pictoris regii" (annis 1527—1534) Ioannis Duereri, magni illius Albrechti fratris. Ab eadem discipula professoris Juliani Pagaczewski certiores facti sumus ex quattuordecim „scaenis" pictis, quibus corona Duereri constat, solam primam integram servatam esse, cum reliquae vel superne vel ab summo ad imum tempore edaci et hominum incuria ita sint dirutae, ut vix vestigia earum apparerent. Sed quoniam pictor verbis textus Cebetei fideliter inhaerebat, is cui a. 1926 restitutio, immo refectio commissa est, professor Leonardus Pękalski reliquias ope descriptionis antiquae nec non imaginum ligno vel aeri incisarum (quibus indices editionum Cebetis initio s. XVI ornati sunt) supplere potuit, genere picturae Duererianae servato. Quae supplementa tenuibus lineolis albis ab iis partibus, quae tantummodo reparatae sunt, discreta ita cum eis congruunt consonantque, ut renovatum Duereri opus tamquam simplex et unum spectatores afficiat et in aetatem renascentium etiam Cracoviae litterarum et artium animos eorum transportet.

---

[1] *Hans Dürer i Cebes wawelski.* Biuletyn historii sztuki i kultury nr 2, Warszawa 1937.

et commendatam esse, ut postea (1522) a Libanio, nec non ab ignoto editore Cebetis Latini, qui a. 1524 Cracoviae prodiit cum commentario Ioannis Clementis, ut Fabricius-Harles credunt[6], nisi Clementem pro Camarte perperam scripserunt, cuius commentarius versioni Odaxianae in editione Parisiensi a. 1498 subiunctus est[7].

Aesticampianus et Agricola peregre (ex Lusatia et Raetia) Cracoviam venerunt ad studia humanitatis promovenda. At indigena Silesius vir fuit, qui primus Polonorum publice pueros rudimenta linguae Graecae docebat Cracoviae in ludo parochiali ad Mariam Virginem ibique a. 1522 Cebetem Graecum explicabat, postquam eius scholae academicae de grammatica Graeca post unum semestre (a. 1520) vetitae sunt[8]. Is modestus linguae Graecae propagator Cracoviensis, Georgius Libanus Lignicensis[9], post Plutarchi (personati) libellum de pueris educandis a Guarino Veronensi in linguam Latinam translatum cum propria praefatione a. 1514 Cracoviae editum et aliquoties repetitum, a. 1522 Cebetis versionem Odaxii apud Florianum Cracoviae excudi iussit eamque illo argumento poëtico ex editione Viennensi iam nobis nota ornavit. Cum autem anno 1528 *Paraclesin i. e. adhortationem ad Graecarum litterarum studiosos* ederet, nonnulla „Carmina Sibyllae Erythraeae" ei subiunxit, fetus potius Iudaicos et Christianos quam Graecos, sed iam dudum ab Ecclesia probatos.

In tali vicinia litteraria origo Cebetis Duereriani collocanda est, cuius *Tabulam* lingua vernacula explicavit spectatoribus typographus Cracoviensis Matthias Wirzbięta edita a. 1581 in sua officina versione Odaxii a se translata cum titulo: *Tablica albo konterfekt Cebesa Tebańskiego filozofa*. Ex eo tempore de Cebetis fatis apud Polonos nihil audimus, donec a. 1845 *Tabula* eius iam a. 1829 ab Ignatio Hołowiński in linguam Polonam translata una cum Epicteti *Enchiridio* Vilnae prodiit. Ultima versio Polona a W. Z. Podolińskio elaborata in annuo Programmate gymnasii Novosandecensis a. 1912 excusa est.

Editio Cracoviensis a. 1522 a Georgio Libano procurata artissime cum institutione initiorum linguae Graecae cohaeret. Eadem coniunctio Cebetis cum elementis Grammaticae Graecae inde ab editione principi

---

[6] *ibid.* p. 713 med.

[7] *ibid.* p. 706 in.

[8] Eodem fere tempore Sorbona studium linguae Graecae improbavit, et a. 1523 duobus fratribus ordinis S. Francisci libros Graecos adimi iussit, possessores autem carcere coërceri. Cf. E. M. Jewnina, *Rabelais*. Przekład z rosyjskiego, Warszawa 1950, Czytelnik, p. 42 med.

[9] Z. Barycz, *Hist. Uniw. Jag. w epoce hum.* 78—89. 156 sq.

EOS

COMMENTARII

SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORUM

EDITORES

VICTOR STEFFEN LADISLAUS STRZELECKI

Volumen XLV 1951

Fasciculus 1.

Z księgozbioru
Polskiego Towarzystwa Filologicznego

WRATISLAVIAE 1952

unum de duobus cacuminibus eligenda proponitur: in altero Regina (Βασιλεία) sedet comitante Iustitia, Eunomia, Pace, Lege, in altero Tyrannis cum suis comitibus, ut Immanitas (Ὠμότης), Insolentia (Ὕβρις), Anomia, Seditio (Στάσις), Adulatio (Κολακεία). Nemo adhuc contendit illas allegorias sufficere, ut Dio iis in bivium introducendis Cebetis vestigia premeret. Eodem modulo metiendae sunt fictae personae in Luciani *Piscatore*, ut Stoae comites (Virtus, Prudentia, Iustitia, Disciplina, Veritas), vel Veritatis ancillae, ut Libertas, Lingua libera (Παῤῥησία), Refutatio (Ἔλεγχος), Conclusio (Ἀπόδειξις), aut in *Bis accusato* Ebriositas (Μέθη) Academiae accusatrix, Voluptas a Stoa accusata, Luxuria (Τρυφή), quae Virtutem accusat, etc.

Ipsae personae allegoricae iam inde ab Hesiodo in litteris Graecis errabant et nisi in actione simili catervatim quasi in scaenam non inducuntur, nulla re originem a certo quodam auctore produnt. Erravit igitur C. Taylor[24], qui in *Pastore Hermae* (Similitudo nona), iam saeculo II post Chr. n. in linguam Latinam verso, Cebetis vestigia odoratus est et idem ut crederet Nestleum[25] permovit, quamquam eodem fasciculo commentariorum philologicorum (p. 78 sqq.) St. G. Stock vanitatem inventi Tayloriani ostendit, quod tamen imitationis Cebeteae investigatorem non prohibuit, quo minus ex relictis ab I. M. Cotterillo notulis animadversiones amici mortui de Plutarcho et Herma Cebetis imitatoribus ibidem[26] publicaret ipseque etiam Pseudo-Clementem (epist. II) inter Cebetis imitatores poneret[27].

Eis somniis dissipatis testis quidam lapideus, quamquam tantummodo in pictura lineari servatus, ad Cebetis postumi auctoritatem probandam relinquitur. Carolus Conradus Muellerus enim, de textu Cebetis restituendo bene meritus[28], e promptuario Berolinensi imaginum aere excusarum (Berliner Kupferstichcabinet) picturam linearem fragmenti marmorei cum „scaenis" quibusdam *Tabulae* Cebeteae in lucem protraxit[29]. Si archaeologiae peritissimo C. Roberto probare contigisset imaginem ectypam marmoream I saeculo p. Chr. n. elaboratam esse, terminum habuissemus, ante quem exemplum ectypi, i. e. *Tabula* Cebetis

---

[24] *Hermas and Cebes*, Journ. of Philol. 28, 1903, p. 24—38.

[25] Zeller-Nestle, Grundriss[13] p. 333: *Die Schrift* (Tabula Cebetis) *ist im christlichen „Hirten des Hermas" nachgeahmt.*

[26] Journ. of Philology 31, 1910, p. 14—41.

[27] *Ibid.* 28, 1903, p. 195 sqq.

[28] *De arte crit. Ceb. Tabulae adhibenda*, diss. Würzburg 1877; idem Philol. Anz. 9, 1878, p. 269 sq.: Philol. Rundschau 4, 1884, p. 1417—1424.

[29] Archäol. Ztg. 42, 1884, col. 115—128; cf. C. Robert, ibid. p. 127—130.

πρῶτον ὥσπερ ὁ Κέβης ἐκεῖνος εἰκόνα γραψάμενος τῷ λόγῳ ἑτέραν ἐπιδεῖξαι τὴν ὁδόν, posteriore autem: βούλομαι δ' ὅμως ἔγωγε ὥσπερ ὁ Κέβης ἐκεῖνος εἰκόνα τινὰ τοῦ τοιούτου βίου σοι γράψαι. Utroque loco praenomine ἐκεῖνος attributive cum nomine proprio coniuncto philosophum monstrat in Platonis *Phaedone* cum Socrate colloquentem nulla operis eius (εἰκόνος, fortasse εἰκόνος βίου, non πίνακος) aestimatione addita, ita ut ex eius verbis minime sequatur *Tabulam* iam tum celebratam popularemque fuisse.

E contrario verbis eius ita afficimur, ut suspicemur sophistam Samosatensem imaginem allegoricam imitaturum — exemplum sub Cebetis cuiusdam nomine sibi oblatum ad illius Cebetis personam rettulisse, quem Platonis dialogus de immortalitate animae celebrem fecit. Ea commendatione opusculum nec inventionis copia nec sermonis ornatu excellens dignum factum est, ut a descriptionum (ἐκφράσεις) amatore, qui Aethionis tabulam nuptias Alexandri et Roxanae repraesentantem (in prolalia *de Herodoto et Aethione*) et Apellis imaginem Calumniae cum eius asseclis allegoricis (in diatriba *de Calumnia*) verbis eleganter expressit, pro exemplo sumeretur. Utroque loco, ubi ad exemplum audientes delegat, homo quidam in bivio ponitur, ut ad rectam viam ingredien-
dam incitetur aut a sinistra via deligenda deterreatur. Utriusque viae imago „littera Pythagorica" repraesentabatur, i. e. littera Ypsilon ita formata, ut pars dextra ad perpendiculum sursum dirigeretur, sinistra tamquam flagellum vento agitatum magis deorsum traheretur. Ramuli litterae Pythagoricae respondent Hesiodi (*Opp.* 288 sqq.) duabus viis, quarum altera, longa et molesta, ad Virtutem in summo quodam monte habitantem ducit, altera brevis et facilis ad Malitiam. Litteram si planam collocaveris et in bivio Herculem constitueris, quem Malitia (eademque Voluptas) in sinistram viam, in rectam Virtus trahit, fabulam Prodiceam a Socrate Xenophonteo narratam (*Memor.* II 1, 21 sqq.) habebis, cuius personae allegoricae eiusdem prosapiae sunt atque Hesiodea Contentio (Ἔρις), seu eam Aemulationem bonam et malam appellare mavis, et aliae multae eiusdem poëtae „personificationes"[22], ut Noctis propago (*Theog.* 219 sqq.). Quanta gratia illa fabula apud posteriores auctores floruerit, vel ex Caroli Joëli libro[23] facile cognoscitur. Nos ad solum Dionem Prusensem revocamus, in cuius or. I *de regno* (a. 100 ad imperatorem Traianum habita) fabulam de Hercule offendimus, cui via ad

---

[22] De quibus v. T. Sinko, *De nonnullis catalogis ab Hesiodo inventis*, Eos 38, 1937, p. 421 sqq.

[23] *Der echte u. d. Xenophontische Socrates*, II 1, 1901, p. 284—332.

Pictura Duereriana in pariete recenter calce dealbata confecta unicum est, quantum scimus, exemplum monumentumque, quo Tabula a Cebete descripta in tanto ambitu coloribus expressa est. Itaque digna erat, quam commemoraremus, praesertim cum eius argumentum pictori regio Noriberga oriundo non casu se obtulerit, sed in Vistulae ripas eis ventis afflatum sit, qui alis suis resurrectos auctores Graecos Cracoviam tum primum apportarent. Ex eorum scriptis adhuc raris ea praecipue a magistris humanitatis arripiebantur, quae „aureis sententiis referta theologiae consentanea" erant. Ea enim laudatione Rudolphus Agricola Raetus[2] (iunior), poeta laureatus (in Germania), praelectiones, quas ipse discipulus (1510) et recens magister (1511) Academiae Jagellonicae a. 1512 Cracoviae privatim de epistulis „Cratis[3] Thebani Cynici philosophi" habuit, discipulis commendavit. Tales scholas privatas per quadriennium (1510—1514) explicabat, donec a. 1518 ex peregrinatione reversus in cathedram extraordinariam artis poëticae vocatus usque ad mortem (1521) etiam publice notitiam antiquitatis divulgavit. Epigramma eius, argumentum Tabulae Cebetis continens, quod a. 1533 Cebeti Duereriano adscriptum vidimus, iam a. 1519 editioni Viennensi Singrenianae Cebetis per Odaxium Latine translatae (quae versio prodiit primum Bononiae 1497) sub finem additum est. Quae editio ideo memorabilis est, quod (ut Christina Popiel l. l. docuit) ex scholiis Huldrici Fabri, quibus instructa est, breves inscriptiones singularum „scaenarum" picturae Duererianae excerptae sunt ita, ut hoc potissimum exemplar pictor regius ante oculos habuisse videatur. Agricolam in Cebete Latino divulgando Ioannes Aesticampianus[4] (i. e. Sommerfeld) senior ex Lusatia praevertit, humanitatis studia professus Cracoviae (1490—1499), tum in Italia, Helvetia, Germania (praesertim Francoforti ad Viadrum, sed etiam Lipsiae et Wittenbergae). Tabulam Cebetis Latinam „cum Io. Aesticampii epistola" Lipsiae 1512 editam Fabricius — Harles[5] commemorant, post eam proxime editionem Rostockianam (cum titulo: *Tabula de fortunae instabilitate*) ponunt, in utraque editione auctore versionis Latinae silentio tecto, quasi idem esset atque epistulae commendaticiae Lipsiensis scriptor. Suspicere tamen licet versionem non propriam, sed Odaxianam ab Aesticampiano editam

---

[2] de eo vide Barycz, *Historia Uniw. Jagiell. w epoce humanizmu*, Kraków 1935, p. 39 sqq.

[3] i. e. Cratetis, immo Pseudo-Cratetis.

[4] v. Kazimierz Morawski, *Historia Uniw. Jagiell., średnie wieki i odrodzenie*, t. II, Kraków 1900, p. 205 sqq.

[5] *Bibliotheca Graeca*, vol. II, Hamburgi 1791, p. 713 post in.

Graeca manifesta est, si re vera Tabula Graeca (cum Latina versione) primum apud Aldum (sine anni nota) prodiit una cum Constantini Lascaris *Institutione grammatica*. Certe Cebes Graecus et Latinus una cum eiusdem Lascaris doctrina de octo partibus excusus est Venetiis a. 1512, Florentiae 1515, Venetiis 1533 et 1557. Hoc modo Cebes in usum scholarum mature receptus ita frequenter per tria fere saecula edebatur, ut Harles enumeratione omnium editionum sibi notarum renuntiata tantummodo sexaginta fere describeret, quarum pars maxima praeter textum Graecum varias novas (post Odaxianam) versiones Latinas exhibet. Ex triginta tribus versionibus in linguas vernaculas a Fabricio et Harlesio[10] enumeratis (inter eas sunt Hispanicae 5, Italicae 6, Gallicae 4, Anglicae 3, Germanicae 12, Belgicae i. e. Batavae 3, Danica 1), quarum nonnullae aliquoties repetitae sunt, duae autem Italicae (a. 1743 et 1761), duae Germanicae (a. 1570 et 1733), una Gallica (a. 1543) et una Batava (a. 1727) carminum formam habent. Quam viam etiam interpretes Latini ingressi sunt, nempe Dominicus Lampsonius Brugensis (Lugd. Bat. 1612) et Samuel Scharlachius (Francof. ad Viadr. 1614), qui Cebetis *Tabulam* versibus heroicis expresserunt, tum Ericus Ericii Pontopiddanus (Parisiis 1642), cuius versionem Harlesius „metricam paraphrasin" appellat.

Iam Hieronymo Wolfio (in editione Basileensi a. 1560) et Abrahamo Berkelio (in ed. Leydensi 1670) dialogus non ad Cebetem Thebanum, sed ad alium potius homonymum[11] eundemque iuniorem referendus visus est, sed post Iac. Guil. Feuerlini (*Miscell. Lips.* III 1716) circumspectas observationes, quibus argumenta in utramque partem prolata accurate pensitata sunt, Cebes Socraticus, i. est Pythagoreus Thebanus auctoritatem retinuit et in Kloppero (Progr. Zwickau 1818, 1820, 1822) novum defensorem invenit. Fidem Cebeti Thebano etiam editor Gallicus Lecluse'us (Parisiis 1877) praestitit et translator Suecus Frigell (Upsalae 1878), aeque ac M. Meunierus, qui una cum *Meditationibus* M. Aurelii et *Compendio* Epicteti (ut iam mos erat) *Tabulam* Cebetis Gallice vertit (Parisiis 1933) tamquam fontem vetustae sapientiae Pythagoreae. At qui in doctrinam in *Tabula* expositam profundius inquisiverunt et Cynicorum nec non Stoicorum sententias in ea agnoverunt, ad posteriora saecula auctorem rettulerunt. Quorum Franc. Susemihlius (*Gesch. d. griech. Lit. in d. Alexandriner Zeit*, II 1892 p. 567, cf. I p. 25 sq. adn. 66)

---

[10] *l. l.* p. 713—715.

[11] Cebetem Cizycenum ab Athenaeo IV p. 156 A commemoratum auctorem Tabulae fuisse C. Sittl, *Griech. Lit.* II p. 276, autumavit.

composita est; sed doctissimus archaeologus tempus fragmenti marmorei accurate non definivit et alteram partem s. II non exclusit. Itaque testimonio marmoreo adhibito nihil aliud lucramur, quam persuasionem opusculum a Luciano altera parte s. II laudatum etiam sculptoribus eius aetatis innotuisse et placuisse. Sed cum ante Luciani duplex testimonium nullum prius in litteris antiquis exstet, eo silentio permovemur, ut credamus *Tabulam* recenter cum Cebetis nomine editam in Luciani manus venisse eiusque ingenio picturarum descriptionibus luxurianti ita placuisse, ut eam publice nuntiare et ut exemplum suum laudare non dubitaret.

Alter scriptor Graecus, qui s. II exeunte[30] Cebetis *Tabulam* ante oculos habuit, Longus est, auctor fabulae amatoriae de Daphnide et Chloe, cuius narratio a tabula quadam picta in luco Nympharum a narratore visa et summatim in prologo adumbrata initium capit et quasi fabulae pictae explanatio atque explicatio est. Etiam tertium testimonium de Cebete e saeculo II p. Chr. n. a Luciani coaetaneo proveniret, si genuina esset in Pollucis Onomastico III 95 (ed. Bethe) lectio haec: Ὁδοῦ δ' ἡγεμών· ἀγωγός, ὑφηγητής, ἐξηγητής — προηγεμών· προηγητής, παρὰ δὲ Κέβητι καὶ καθηγητής (vel: καὶ καθηγητής, ὡς Κέβης). Sed non est genuina. Nam in textu Cebetis, qui ad nos pervenit, vox καθηγητής nusquam occurrit et si senex ille, qui *Tabulam* peregrinis explicat, per translationem magistri nomine appellatus esset (apud posteriores enim, ut apud Plutarchum, καθηγητής magistrum praeceptoremque designat), in lacuna quadam, quibus textus laborat vel in deficiente hodie epilogo, in quo peregrinus seni gratias agere et valedicere debuit, non καθηγητής, sed ἐξηγητής audivisset, cum eius actio semper nomine ἐξήγησις vel verbo ἐξηγεῖσθαι designetur; cf. p. 2,15[31]: ἐπικύνδινόν τι ἔχει ἐξήγησις; p. 3,4: ἔστι γὰρ ἡ ἐξήγησις ἐοικυῖα τῷ τῆς Σφιγγὸς αἰνίγματι; p. 3,8: ὡσαύτως δὲ καὶ ἐπὶ τῆς ἐξηγήσεως ἔχει ταύτης; p. 24,11: καλῶς μοι δοκεῖς ἐξηγεῖσθαι; p. 24,16: πάντα γὰρ ἐξηγήσομαι; 29,18: τοῦτο δὲ ἐξήγησαι. Semel (p. 2,15) etiam διήγησαι occurrit. Sed etiamsi nomen Atticum ἐξηγητής in textu Cebetis occurrisset (nam διηγητής sero reperitur), a Polluce, vocum Atticarum captatore, non ex Cebete, suspecti atticismi auctore, exemplum laudatum esset, sed ex aliquo probato scriptore Attico. Noli enim cogitare Atticis nominibus: ἐξηγητής, προηγητής oppositum esse commune

---

[30] Quod tempus definivimus dissertatione *De ordine quo erotici scriptores Graeci sibi successisse videantur*, Eos 41, 1940—46, p. 23 sqq.

[31] Editionis Praechteri supra laudatae.

fine commentarii Chalcidii in *Timaeum* Platonis occurrens. Eo loco *Timaei* Platonici verba (p. 53 C) explicantur, quibus philosophus Pythagoreus ad disputationem de singulari ordinatione genituraque elementorum materiae aggrediens, nova in ea demonstratione atque insolita ratione (scilicet geometrica) se uti oportere contendit, quam colloquii participibus non incognitam esse credit, quippe qui omnes eruditionis ingenuae vias (τῶν κατὰ παίδευσιν ὁδῶν) peragraverint. Eas vias eruditionis ut exponat, Chalcidius haec scribit: *Qui aderant omnes erant instructi praecipuis doctrinis, quas ingenuas disciplinas appellavit, propterea quod a pueris aetas illa iis veluti principiis altioris doctrinae et tamquam gradibus imbuebatur: geometrica, musica, arithmetica, astronomia. De quibus Cebes pronuntiavit, si quidem philosophiae causa discantur, ut per eas, tamquam gradibus ad summum culmen philosophiae perveniatur, operae pretium esse; si sine philosophia, plena tamen dignitatis esse fundamenta imperfectae licet eruditionis.*

Parum accurate his consilium atque opinionem Cebetis redditam esse, facile est probatu. Is enim (c. 13 fin.) inter Falsae Disciplinae (Ψευδοπαιδεία) amatores eos ostendit, qui artes liberales pueros docent, pro grammaticis primo loco poëtas nominans (nam poëmata primum eruditionis fundamentum fuisse pueris litteris elementariis imbutis satis constat) eisque rhetores et dialecticos adiungens; post eos autem triennii magistros (a Chalcidio neglectos) — quadriennii doctores indicat, scilicet musicos, arithmeticos, geometras, astrologos, eosdem, quorum artes Chalcidius ingenuae disciplinae (παιδεύσεως) summam contineri putavit. Ne tamen corona artium desideretur, Cebes etiam tres doctores Falsae Disciplinae commemorat, nempe philosophos hedonicos, peripateticos, criticos. Ultimo vocabulo dicti sunt sollemniter ab antiquis grammatici, quales Aristarchus et Aristophanes fuerunt, quos Quintilianus (1, 10, 54) „poëtarum iudices" appellat. De his Axiochi consolator, Socrates, loqui videtur (Ps.-Plat. *Axioch.* p. 365 E), cum post grammatistas, puerorum praeceptores, criticos enumerat iuxta geometras et tacticos, magis provectorum puerorum dominos, quos Lycei et Academiae rectores Athenis excipiunt, epheborum educatores. Sed eiusmodi criticis (i. e. poëtarum iudicibus) iuxta philosophorum par Cebeteum nullus est locus, praesertim cum „poëtae" priore triade enumerati tam grammaticorum quam criticorum vicibus fungantur. Qualem igitur philosophorum sectam iuxta eas, quae eadem aetate (i. e. s. II post Chr. n., quod mox demonstrabitur) vigebant, i. e. Epicureorum (quos hedonicorum antiquo nomine appellavit) et Peripateticorum, Cebes ad triadem priori respondentem nominare potuit, cui

καθηγητής, sed potius concede Cebetem cum suo cathegete ab interpolatore quodam, *Tabulae* eius admiratore, in Pollucis textum introductum esse ita, ut pro ἐξηγητῇ eodem sensu καθηγητής lapsu memoriae prodierit.

Breviores esse possumus in reliquis duobus testibus Graecis audiendis. Laertius Diogenes (II 125) enim, saeculo III medio attribuendus, praeter duos dialogos, qui *Phrynichus* et *Septima dies* (Ἑβδόμη) inscripti sunt (et sine vestigiis interierunt), tertium commemorat, nempe *Tabulam* (Πίναξ), quae eadem fuisse putatur atque quae ad nos cum Cebetis nomine pervenit. Eosdem tres dialogos s. X *liber Sudae* Cebeti Thebano adscribit addita ad *Tabulam* adnotatione: ἔστι δὲ τῶν ἐν ᾅδου διήγησις. Erant qui eam τῶν ἐν ᾅδου διήγησιν diversum a *Tabula* Cebetis opus fuisse contenderent, sed ea coniectura cadit, si cum Hemsterhusio[32] post ἔστι δὲ vocem καὶ supplemus. Minime enim dubitandum est, quin *Tabula* Cebetea auctori illius adnotationis lectione nota, immo familiaris fuerit ita, ut eius inscriptionem, quae apud Lucianum (l. l.). verbis Εἰκὼν βίου ἀνθρωπίνου (Imago vitae humanae) redditur, angustiorem esse crederet, cum homines, antequam in vitam immitterentur, prima *Tabulae* „scaena" apud inferos etiam tum commorarentur. Itaque narratione non solum vitam humanam in terra comprehendi recte putavit, sed etiam τὰ ἐν ᾅδου. Quae cum ita sint, in *libro Sudae* testimonium de lectione *Tabulae* apud Byzantinos s. X agnoscendum est, qualia si apud alios scriptores Graecos aevi medii quaerentur, futurum est ut certe inveniantur.

Graecia peragrata in Occidentem oculos convertimus, ubi primum *Libellus adversus omnes haereses* inspiciendus nobis est, qui pridem in codicibus atque in editionibus Tertulliani libro *De praescriptione haereticorum* tamquam c. 45—53 subiungebatur, nunc a Tertulliano abiudicatus[33] potius Victorino Petabionensi (Hieron. *vir. ill.* 74) vindicatur[34]. Haeretici quidam ab auctore cum iis comparantur, qui Virgiliocentones et Homerocentones composuerunt: *Vides hodie ex Virgilio Tabulam in totum aliam componi, materia secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis. Denique Osidius Geta Medeam tragoediam ex Virgilio exsuxit. Meus quidem propinquus ex eodem poeta, inter cetera styli sui otia, Pinacem Cebetis explicuit.*

Quod testimonium si Victorino illi debetur, ad finem fere saeculi III referendum est, non aliter quam aliud testimonium Latinum in ipso

---

[32] Ad Luciani dial. I ed. min. Basileensis 1771 not. p. 1.

[33] O. Bardenhewer, *Gesch. d. altkirchl. Lit.* II p. 431.

[34] *Ibid.* p. 430; cf. Ioannes Sajdak, *Tertulian*, Poznań 1949, p. 214.

criticorum appellatio conveniret? Nec Academia, iam Platonica facta, cui ipse favebat, nec Stoa, cuius doctrina de moribus a Platonicis (et Cynicis) iam accepta est, in censum veniebant; restabant sceptici, quos sub criticorum nomine Falsae Disciplinae adscripsisse videtur.

In Cebetis catalogo amatorum Falsae Disciplinae diutius commorati sumus, ut eum integrum esse demonstraremus et contra vexationes virorum doctorum defenderemus. Quorum Sauppeus[35] hedonicos et peripateticos, ut glossemata expunxit, Praechterus[36] autem criticos ante hedonicos et peripateticos contra codicum fidem posuit. Ille obelo usus est, ne critici pessime disiungantur a reliquarum sex artium sectatoribus, hic ordinem mutare maluit, quam cum Sauppeo nomina eicere. Sauppei operatione chirurgica tritum quadriennium, cuius integritatem apud Cebetem Chalcidius testatur, additamento supervacaneo deformatur, Prachteri ordine appellatio criticorum ambigua dubitationem movet, utrum ad eam, quae praecedit, tetradem pertineat, an ad philosophos; nam nova significatio philosophorum nisi ab antecedentibus duabus sectis sensum non accipit, post eas autem posita bene communitate sua eos amplectitur, quicumque eorum (i. e. criticorum) similes sunt (καὶ τἆλλα ὅσα τούτοις παραπλήσια).

In versione Arabica s. XI ab Ibni Musweïch confecta et ab Ellichmanno (Lugduni Batavorum 1640), iterum ab Inavi Effendi (Parisiis 1873) edita, ante criticos musici laudantur, quos peripatetici et iocu-latores sequuntur, quasi paraphrastes ultimo loco de cynicis cogitaret, qui Diogenis illius mores imitati ridiculas personas induerent. Sed paraphrastae Arabico praeter integritatem textus, in codicibus Graecis in fine decurtati, modica in ceteris auctoritas tribuenda est. Audiamus enim, quod Salmasius de eius paraphrasi scripsit in praefatione editionis Ellichmanni (v. s): *Multa adtexuit, alia vero detraxit, plurima interpolavit, immutavit, invertit, nec pauciora non ipsi intellecta perperam et contra mentem Graeci auctoris expressit.* Quod severum iudicium novo quodam Arabis errore demonstrato Fabricius auxit, cum scripsit[37]: *Auctor versionis huius sive paraphraseos loquentem cum Cebete (immo sene exegete) inducit — Herculem philosophum, quem ipse commentus est, Socraticum, quoniam nempe in Graeco codice bis vel ter occurrere vidit tritam admirandi formulam*: ὦ Ἡράκλεις.

---

[35] Götting. Gel. Anz. 1872, p. 776 sq.

[36] In critico apparatu editionis suae apud Teubnerum 1893, p. 12.

[37] V. Fabricius-Harles, *Bibl. Gr.* II p. 709 adn. 1, ex qua etiam Salmasii iudicium exscripsimus.

Sed nobis ex Arabia in Graeciam redeundum est, ut probemus a Chalcidio Cebetis opinionem de artibus liberalibus non accurate redditam esse. Is enim, qui hospiti Tabulam explicat senex, interrogatus ab eo, quae dona Falsae Disciplinae adulescentes capere iubeantur, respondet (c. 23 post in.): *ea, quae usui apta* (εὔχρηστα) *utiliaque sunt, scilicet litterae* (γράμματα), *ex reliquis autem artibus* (τῶν ἄλλων μαθημάτων) *ea, quae etiam a Platone traduntur veluti vim freni cuiuspiam* (ὡσανεὶ χαλινοῦ τινος δύναμιν ἔχειν) *in coërcendis adolescentibus obtinere, ne ad aliena distrahantur.* In toto opusculo ad sensum popularem vulgaremque accommodato, cum ceterum nullus alius philosophus palam nominetur, etiam ea provocatio ad Platonem ut glossema reiecta est a Klopfero [38], qui *Tabulam* re vera a Cebete illo Pythagoreo compositam esse comprobare conatus est et Platonis verba laudata (*Leg.* VII 808 DE) ei innotescere non potuisse contendit. Cautius de ea re alius authentiae defensor Iac. Guil. Feuerlin [39] iudicavit, cum scripsit: Cebetem Thebanum, cum Socrates (a. 399) moreretur, vegeta aetate quadraginta circiter annorum gavisum numerosam senectutem attigisse, ideoque senem ipsum potuisse Platonis verba legere atque citare. — Sed cum utraque authentiae defensio vana nobis videatur (rationes eius iudicii postea reddentur), hoc loco continemus nos in opinatione: unico Platone nominatim laudando auctorem se a partibus eius stare declarare voluisse.

Atqui ea declaratio valde debilis est, nam e testimonio Platonis (*Leg.* VII 808 D) ipsa brevissima comparatio (οἷον χαλινοῖς) retenta est cetero sententiae Platonicae sensu aliquantum detorto. Plato enim in doctrina de educatione atque institutione puerorum exponenda (*Leg.* l. VII) de necessitate continuae custodiae (tam in schola, quam extra scholam) aetatis tenerae ex parte omnium civium scribit (p. 808 C) monetque, ne pueri sine custode relinquantur, tamquam oves sine pastore, cum puer omnium animalium tractatu sit difficillimum. Ut enim maxime fontem sapiendi (πηγὴν τοῦ φρονεῖν) nondum compositum habeat, ita insidiosum et acre et petulantissimum animalium eum esse (p. 808 D). Itaque multis quasi frenis quibusdam illigandum eum esse, primum a ductoribus (παιδαγωγοῖς) ob pueritiam et fatuitatem, deinde a docentibus quidlibet et disciplinis (τοῖς διδάσκουσι καὶ ὁτιοῦν καὶ μαθήμασιν).

---

[38] *De Cebetis Tabula*, Gymn. Progr. Zwickau 1818. 1820. 1822.

[39] Miscellanea Lipsiensia III, 1716, observ. 55 p. 18—60, apud Fabricium-Harlesium, *Bibl. Gr.* II p. 704.

De eis disciplinis, quae pueris decennibus per triennium fere discendae atque exercendae sunt, scilicet litterae (γράμματα), initia musicae et cantus (ad lyram), ars computandi, Plato inde a p. 809 C agit, unicuique disciplinae fines angustos designans. Nam eas a singulis eatenus tantum discendas praecipit, quatenus cum belli, tum rerum domesticarum et civilium administrationi inserviant nec non ad corporum divinorum (i. e. stellarum) circuitus cognoscendos utilia (χρήσιμα) sint. Earum tractationem denuo suscipiens (p. 817 E) tres disciplinas ingenuis commendat, quarum una ad computationem et numeros pertinet (i. e. arithmetica), altera ad artem metiendae longitudinis, superficiei, altitudinis (i. e. geometria), tertia ad circuitus stellarum cognoscendos (i. e. astrologia), additque eas exacte profundeque tractare paucis quibusdam reservandum esse, sed quae ex iis in vita cotidiana necessaria sint et quae ignorare turpe ex communi sententia habeatur, multis discenda esse, immo omnibus adolescentibus ingenuis. Neque enim noxia (βλαβερά) neque difficilia ea studia esse, et si quasi cum ludo (μετὰ παιδιᾶς) discantur, utilitatem civitati nec detrimenti quicquam eis parari (820 D). Neque tamen obliviscendum est, quid Plato antea (p. 819 D) de iis studiis male (i. e. ad malum usum e. g. ad falsas opiniones de deo et mundo concipiendas) cultis atque adhibitis scripserit, cum dixit neutiquam grave nec vehemens nec maximum malum imperitiam eorum esse, sed maius illo damnum esse multa esse expertum et multa didicisse prava institutione (ἡ πολυπειρία καὶ πολυμαθία μετὰ κακῆς ἀγωγῆς γίγνεται πολὺ τούτων μείζων ζημία).

Sic a brevi comparatione ex Platonis *Legibus* a Cebete laudata initio sumpto ea, quae de institutione puerorum inde ab ea comparatione continuantur, breviter comprehendimus, ut arithmeticae, geometriae, astrologiae existimationem atque aestimationem Platonicam cognoscamus cum Cebeteis mox comparandam. His tribus disciplinis si musicam a Platone in iis, quae praecedunt, satis large tractatam adiunxerimus, quadriennium illud Cebeteum ante oculos habebimus.

Sed haec ad Cebetis doctrinam cognoscendam nondum sufficiunt Is enim post quadriennii praeceptores etiam tres philosophorum sectas enumeravit, tamquam tertium summumque institutionis gradum. De iis, qui ad profundum studium arithmeticae, geometriae, astrologiae se applicare debent, Plato sexto et septimo libro *Reipublicae* narrat, ubi veros sapientiae amicos (philosophos) eosdemque futuros civitatis rectores instruit, postquam eos in fine libri quinti (p. 480 A) ab opinionis amatoribus (φιλόδοξοι) distinxit. Quo in excursu respicienda est nobis etiam opinio Platonici Adimanti, qui se haec in vita observavisse p ro-

fitetur (p. 487 CD): eos, qui studium philosophiae aggressi ita in eo versentur, ut non eruditionis gratia degustatis nonnullis iuvenes adhuc discedant, sed diutius immorentur, maxima ex parte insolentes (ἀλλοκότους), immo plane pravos (παμπονήρους) evadere; qui vero maxime probabiles videantur, eos longiore studio philosophiae id contrahere, ut inutiles fiant civitatibus (ἀχρήστους ταῖς πόλεσι γιγνομένους). Eius opinionis causam duplicem esse Socrates putat (p. 489 E sqq.), alteram in eo positam, quod optimum studium ab eis probari nequeat, qui contrariis studeant, alteram, eamque graviorem, in iis haerere, qui haec studia profiteantur. Quorum enim natura verae philosophiae cupida sit, eos in his multis ac singularibus, quae esse ferat opinio (i. e. in rebus sensibus percipiendis) non subsistere et mente ad veritatem (i. e. ideas cognoscendas) tendere (p. 490 A), qua cognita eos vere vivere atque ali. Ubi vero dux veritas sit (ἡγουμένης δὲ ἀληθείας: p. 490 A), ibi totum chorum naturae philosophae praesto esse, e. g. fortitudinem (ἀνδρεία), magnificentiam (μεγαλοπρέπεια), tum discendi facilitatem (εὐμάθεια), memoriam (μνήμη, p. 490 C). Quae virtutes et facultates quamvis parvis litteris initialibus excuduntur, tamen, cum chorum et comitatum Veritatis efficiant, fictarum personarum dignitatem accipiunt. In eis, quae praecedunt (p. 490 C) Mendacio (ψεῦδος) chorus malorum (χορὸς κακῶν), quae tamen non nominantur, adiungitur.

Sed naturam philosopham raro nasci Socrates contendit additque etiam ea pauca ingenia saepe corrumpi. Causam corruptionis, quae fortitudinem, temperantiam, alias virtutes a philosophis abstrahat, ea esse, quae vulgo bona dicuntur (τὰ λεγόμενα ἀγαθὰ πάντα), nempe formam (κάλλος), divitias (πλοῦτος), corporis robur (ἰσχὺς σώματος), genus in civitate potens et cetera his coniuncta (p. 491 C). Quae ne bona habeantur utque veri boni natura cognoscatur, bona educatione opus esse, non tali, qualis a sophistis opinionibus vulgi inservientibus easque opiniones cum magno strepitu vendentibus, adolescentibus impertiatur (p. 492 A)...

Quibus vero disciplinis naturae philosophae ad veritatem et summum bonum cognoscendum perveniant, Socrates post multas ambages a medio fere libro VII ita exponit, ut capite 9 de scientia computandi et numerandi (λογιστικήτε καὶ ἀριθμητικὴ περὶ ἀριθμῶν) cum Glaucone colloquatur, c. 10 de geometria, c. 11 de stereometria et astrologia, c. 12 de harmonica. Eis studiis mathematicis candidati gubernationis civitatis usque ad tricesimum vitae annum ad studium dialecticae praeparantur, cuius ope intra quinquennium summi boni cognitionem assequuntur (c. 15). Abhinc per tria lustra officiis militaribus et civilibus

funguntur (c. 35—50), donec quinquagenarii ad munera rei publicae gubernandae apti fiant.

In eo studiorum cursu disciplinae mathematicae una cum astrologia (quae hodie astronomia vocatur) praeparationem et quasi primum gradum ad dialecticam exercendam efficiunt, qua alter idemque summus gradus sapientiae ascenditur. Atqui dialecticā iam pueri post grammaticam et rhetoricam instruebantur, sed ea appellatione ipsa argumentandi elementa comprehendebantur, cum Platonis dialectica difficillima fuerit disciplina notionibus colligendis (συναγωγή) eisque dividendis (διαίρεσις) occupata et tantum maturis ingeniis vere philosophis ad intellectum aperta. Eadem ratio est disciplinarum „mathematicarum", quarum studio adolescentes per quadriennium dediti erant eatenus, ut ea non excederent necessitates vitae cotidianae, cum philosophi Platonis in eas se ingurgitarent, ut animae humanae et animae mundi arcana scrutarentur. Eius differentiae Chalcidius (l. l.) minime oblitus Timaei interlocutores, Critiam et Hermocratem, viros cultiores appellat, quippe qui a pueris tamquam principiis altioris doctrinae imbuti essent et quasi primis gradibus eius doctrinae (i. e. verae philosophiae) incederent. Quos gradus geometria, musica, arithmetica, astronomia effici Chalcidius putat, quae fundamenta sint plena dignitatis, imperfectae licet eruditionis, cum ad ipsam philosophiam nondum perduxerint. Hoc loco *Timaei* commentator reticet cum altius diuturnumque studium illarum disciplinarum a Platone viris iam maturis commendatum, tum, quod gravius est, ipsam dialecticam, sine qua ad summum culmen philosophiae nemo pervenire possit; sed ea reticentia potius abrupto commentario quam commentatoris incuriae deberi videtur.

Chalcidius in his Platonis libros de civitate potissimum secutus est, quorum vestigia etiam apud Cebetem apparent, quamquam is sententia quadam e Platonis *Legibus* laudata hoc opus ante oculos habuisse videtur, ad cuius exemplum triennium et quadriennium scholasticum ita ab eo constitutum supra vidimus, ut pro singulis disciplinis earum magistri enumerentur. Quos omnes cum Falsae Disciplinae amatores (οἱ τῆς Ψευδοπαιδείας ἐρασταί, c. 13 in.) appellavit, Platonis amatoribus opinionis (φιλόδοξοι) pares eos fecit, eorum sophistarum similes, qui vulgi opinionibus servientes et ipsi male vivunt et discipulos depravant.

Allegoriarum explicatio quo clarior evadat, auctor sub finem (c. 33 post in.) Hospiti permittit, ut Senem de singulis percontetur. Itaque ille interrogat, quaenam dona a Falsa Disciplina capienda Genius (natalis) homines capere iubeat. — „Ea, quae ad usum bona (εὔχρηστα)

esse videntur", Senex respondet, neque tamen addit, ad quem usum bona sint, statimque litteras (γράμματα) nominat aliasque res a Platone (in *Legibus*) ad puerorum distractiones coërcendas (i. e. disciplinas triennio et quadriennio in scholis traditas) aptas. Quae disciplinae cum ad Veram Disciplinam (ἡ ἀληθινὴ Παιδεία) i. e. veram philosophiam, cuius fructus virtus est atque felicitas, assequendam non simpliciter necessariae (ἀναγκαῖαι), sed tamen utiles (χρήσιμα) nominentur, prius de eis iudicium (adiectivo εὔχρηστα designatum) repetitur, addita nunc ratione seu scopo earum usus, quae est Verae Disciplinae possessio. Altero additamento, quod est: eas disciplinas ad reddendos homines meliores nihil conferre, non diversus scopus constituitur, sed idem ex altera parte ostenditur, cum a Vera Disciplina via ostendatur, qua per virtutem ad felicitatem contendatur. In ea via virtutis disciplinas non inutiles esse Senex declarat, quamquam etiam sine his homines meliores fiant (i. e. ad scopum Verae Disciplinae perveniant).

Quo modo id fiat, Senex comparatione quadam illustrat (c. 33,6), cuius sensus hic est: Loquitur ad nos homo peregrinus, cuius linguam non callemus ideoque interpretis ope utimur eiusque auxilio quae peregrinus dixit intellegimus; non inutile (οὐκ ἄχρηστον) tamen esset, si et ipsi lingua peregrina uti possemus, ut si quid perceperimus, sine interprete intellegeremus. — Eadem ratione sine illis disciplinis meliores fieri nihil prohibebit... Comparatio obscura esset, nisi Hospes Cebeteus interrogaret, num ipsi mathematici (i. e. homines, qui illas disciplinas possident easque docent) nihil prae aliis hominibus excellerent in progressu in virtute. Inde enim sequitur interpretis linguae peregrinae partes eis partibus respondere, quas coram discipulis magistri artium impleant; sed eo sensu accepto comparatio claudicat. Nam ille homo ut interprete carere posset, ipse linguam peregrinam scire debuit eademque ratione magistri artium discipulis non essent necessarii ad progressum in virtute obtinendum, si per se sine eorum auxilio, ergo sine eruditione scholastica honeste vivere possent.

Ad eum effectum homines simplices et illitteratos pervenire posse ipsa vita docet. Sed Senex Cebeteus eam experientiam reticuit et orationem de ea, quae ex artibus fieri potest utilitate, non necessitate, ut homines meliores fiant, ad ipsos artium magistros detorsit, qui ipsi suis disciplinis meliores non fiant, immo omnibus vitiis abundent nihilque ab eis differant, qui in bonorum et malorum cognitione decepti sint: „Nihil enim prohibet eum, qui litteris eruditus ac disciplinis omnibus fuerit institutus, itidem ebrium et intemperantem et avarum et iniustum et proditorem et postremo insipientem (ἄφρονα) esse" (34,3).

Haec quamquam saepius in vita obveniunt (Lucianum Samosatensem in irrisione eius generis philosophorum excelluisse satis constat), tamen narratio Senis cum Platonis verbis supra laudatis de corruptione eorum „philosophorum" cohaerere videtur, qui vera bona a falsis non distinguant et divitiarum malo usu in luxuriam omniaque scelera corripiantur.

Locus de divitiis scelerum fonte praecipuo a Cynicis frequentatus, qui divitias maximum impedimentum ad virtutem obtinendam, paupertatem brevissimam viam ad virtutem proclamarent, minime eorum tantum doctrina includendus est, cum et Socrates et Plato eadem de divitiis doceant atque ea, quae noster (c. 39—41) explicat. Summa eorum, quae apud Cebetem Socratico more per interrogationes et responsa procedunt, haec est (c. 40): Omnem perturbationem et detrimentum hominibus inde provenire, quod in solis divitiis felicitatem consistere arbitrentur neque ullum facinus, quamvis impium et flagitiosum, eorum gratia recusent. Ignorare enim eos bonum ex malo fieri nequaquam. Itaque multos ex pessimis ac turpissimis facinoribus in divitiarum possessionem devenire, veluti ex proditionibus, depraedationibus, homicidiis, calumniis, rapinis aliisque compluribus et pravis operibus. Tales divitias nequaquam bonum esse necesse esse...

Cum divitiis male partis eodem ordine a Sene (ibid.) et reliqua id genus ponuntur, quorum possessionem cum multa pravitate coniunctam nihil prohibeat. Quam sententiam conclusio inopinata sequitur: quapropter haec neque bona neque mala esse, cum ipsa sapientia bonum sit, insipientia vero malum. — Ultima sententia non solum ad divitias false aestimandas pertinet, sed ad omnia bona quae vocantur externa, quibus a Platone bona interna opponi vidimus, i. e. virtutes, ad quarum possessionem vera philosophia (apud Cebetem Vera Disciplina) ducit, quae quid bonum, quid malum sit, distinguere homines doceat, ita ut malitia ipsa ignorantiā consistat, probitas vero recta cognitione i. e. sapientia. Quam doctrinam Socraticam Senex ad amatores Falsae Disciplinae (Platonis φιλοδόξους) eosdemque artium liberalium magistros condemnandos adhibet, qui ea se scire profiteantur quae nesciant (προσποιοῦνταί γε ἐπίστασθαι, ἃ οὐκ οἴδασιν, 35,3), et re vera in bonorum et malorum cognitione decipiantur (φαίνονται ἠπατημένοι περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, 34,21) ideoque variis flagitiis et sceleribus sint obnoxii.

Ab eo argumento generali Senex Cebeteus ad amorem divitiarum, luxuriae aliusque pravitatis incitamentum, non solum propterea transisse videtur, quod Plato eis adolescentes a progressu in sapientia et

virtute abduci et corrumpi contendit, sed etiam propterea, quod iam ante in *Tabula* Fortunam ostendit, cuius donis iuvenes a meretricibus ad luxuriam pellecti patrimonio disperso illarum mulierum gratia omnia turpia et perniciosa admittere cogebantur, ut furtum, sacrilegium, periurium, proditionem, depraedationem et quaecumque his similia (9,4, cf. 40,3). Ut eam vim fatalem divitiarum explicaret, Senex primum Hospitem ratiocinatione eo adduxit, ut concederet eum, qui recte ac prudenter divitiis uti noverit, bene vivere, si secus, male (39,5). Adicere tamen supersedit solis divitiis bene partis et recte adhibitis vitam bonam et felicem muniri et nisi de divitiis pessimis ac turpissimis facinoribus comparatis non loquitur, ut concludat tales divitias nequaquam bonum esse, cum ex malo bonum nullum proveniat (c. 40,1). In his tamen non consistit, sed porro colligit non solum divitias, sed etiam gloriam et alia id genus malis operibus acquiri posse ideoque cum malitia coniuncta esse. Si igitur ea bona externa aut bona aut mala comparari possint, ea per se neque bona neque mala esse, c. 41,3, (sed origine et usu bona vel mala devenire). Sed verba uncis a nobis inclusa hic a Sene non proferuntur, et quae postea (c. 42) adduntur ab Arabico Interprete solum servata, fortasse translatoris indiligentia obscura facta sunt.

Iam prima sententia, Seni tribuenda, quae est: „Et profligavimus eam opinionem, qua illa a pravis actionibus esse creduntur", non habet proxime praemissa, ad quae pronomen „illa" referatur. Itaque ex iis, quae mox a Sene adduntur (c. 42), explicatio petenda est. Hic rursus offendimus pronomini „talia", quod ad „illa" revocat, quae nec bona sunt nec mala, nam „si ex solis actionibus pravis provenirent, essent mala tantummodo". Altera pars enuntiati non additur, sed facile suppletur: „si vero ex solis actionibus bonis provenirent, non essent mala". Nunc intellegimus, quid significet enuntiatum „sed ab utroque genere omnia proficiscuntur", scilicet: ab utroque genere actionum, i. e. tam malis quam bonis, „ideoque diximus ea nec bona esse nec mala". Supra (c. 41,2) audivimus ne sapientiam quidem et iustitiam et insipientiam ex malis operibus acquiri posse, neque itidem iniustitiam ex bonis, cum ex malo bonum nullum proveniat (γίνεται ἐκ κακοῦ ἀγαθὸν μηδέν, c. 41,1). Inde Senex divitias ex malis facinoribus provenientes nequaquam bonum esse conclusit (ibid.) et solas divitias bene partas beneque adhibitas bonum (39,5), non per se bonum, sed per originem et usum. His respectis eas (aliaque „bona" externa) nec bona nec mala esse declaravit (c. 41,3), postquam supra (c. 37,3) probavit: male vivere — malum esse, vivere autem per se non malum; cum autem et male et

bene viventibus vivere ipsum contingat, neque bonum neque malum esse ipsum vivere (c. 38,1).

Post eum sententiarum ordinem pronomen „illa" non ad divitias, sed potius ad sapientiam et iustitiam, quae ex malis operibus acquiri non possint (41,2), referendum esset, nisi pronomine „talia" exciperetur, quae ex utroque genere (actionum) proficiscerentur ideoque nec bona esse nec mala. Talium rerum exempla ab Hospite supra (c. 36,1) enumerata sunt, nempe: vita, sanitas, divitiae, gloria, liberi, victoriae et reliqua his similia Fortunae dona. Senex ipsum vivere neque bonum esse neque malum in textu Graeco probavit (38,1), apud Arabem vero somnum et vigiliam simili modo nec bonum nec malum (scil. per se) declarat. Neque his tamen exemplis contentus etiam ambulare et sedere et reliqua commemorat, quae unicuique hominum, sive intellegens (φρόνιμος?) sive ignorans (ἄφρων) sit, accidant. „Quae propria sunt alterutri, i. e. et intellegenti (ceu prudenti) et ignoranti, „eorum alterum (i. e. quod prudenti proprium est) bonum, alterum (quod ignoranti proprium est) malum". Exemplum mali — tyrannidem Senex profert, exemplum boni — iustitiam, „quae duae res accidunt uni aut alteri", „quia iustitia perpetuo adhaeret intellegentia praeditis, et tyrannis nullos nisi ignorantes comitatur". In eis, quae sequuntur, ad illam redit sententiam, quam supra (c. 41,2) defendit: ut sapientiam et iustitiam ex malis operibus non acquiri, ita nec iniustitiam et insipientiam ex bonis, neutrumque par virtutum una cum pari vitiorum in eodem homine simul exsistere posse (οὐδὲ ὑπάρχειν ἅμα τῷ αὐτῷ δύνανται). Ea in memoriam revocando („id quod supra diximus") Senex nunc dicit fieri non posse, ut uni eidemque uno eodemque temporis momento res duae ad istum modum se habentes (i. e. contrariae) accidant. Ex propiore distantia exemplum de somno et vigilia repetit, cum dicit eundem hominem eodem temporis momento dormientem et vigilantem esse non posse, vel simul sapientem et ignarum.

Post tot repetitiones eiusdem argumenti minime necessarias, cum probatio indifferentis naturae divitiarum aliorumque bonorum quae vocantur iam multis exemplis antea declarata sit, Senex, qui praeter templi Saturni commemorationem et exclamationes νὴ Δία, πρὸς Διός (etiam Ἡρακλῆς, ὦ Ἡράκλεις) nullos deos in fabulae deorum figuris carentis explicatione adhibuit, nunc omnia „ab illo principio vere divino" procedere asseverat, neque tamen nomen illius principii enuntiat, et pro eo tria contrariorum paria (vitam et mortem, sanitatem et aegritudinem, divitias et paupertatem) enumerat, quae et bona et

mala (cf. c. 36,4) plerisque hominibus a non malo (i. e. bono) accidere contendit. His exemplis illa omnia a principio vere divino procedentia illustravit Hospitemque confiteri iussit id necessario ex eius sermone sequi; nihilo minus tamen dixit se non firmum esse in iudicio de istis. Eam dubitationem Senex ita explicat, ut dicat: ab Hospite longe adhuc abesse illum habitum, quo eam sententiam (de bono omnium bonorum et malorum fonte) animo concipiat, speretque fore, ut adolescentibus ille habitus accedat, si toto vitae curriculo ea observaturi sint, quae a tabulae enarratore didicerint et animis suis infixerint. Adhortatione facta, ut hospites ad Senem reverterentur, si in futuro de aliqua re dubitavissent, et promissione accuratioris explicationis data, colloquium concluditur ita, ut eius initii (c. 3,2—4) commonefiamus, quo Senex ad explicationem fabulae aggressurus tabulam pictam cum aenigmate Sphingis comparavit, cuius bona solutio salutem, mala exitium pararet. Sphingem hominibus insipientiam (ἀφροσύνη) esse, quae eis aenigmatice proponat (αἰνίττεται), quid bonum, quid malum, quid neque bonum neque malum in vita sit. Quae si quis minus intellexerit, eum ab ea per totam vitam paullatim absumi; si quis autem agnoverit, eum insipientia occisa salutem consequi.

Verbis distractis litteris excusis pars maxima fabulae eiusque caput indicatur, ubi ad tres illas interrogationes bene respondetur a Vera Disciplina (Ἀληθινὴ Παιδεία), quae eadem est atque vera philosophia, cum a Falsa Disciplina (Ψευδοπαιδεία) i. e. falsa philosophia falsa responsa dentur. Eius falsae disciplinae doctores hedonicos (i. e. Epicureos), peripateticos, criticos (i. e. scepticos) eorumque similes esse (c. 13 fin.) supra vidimus. Verae philosophiae praeceptor ipse auctor et explanator *Tabulae* prodit, qui tamen nequaquam ut opusculi scriptor repraesentatur. Fictionis enim forma talis est (c. 1), ut de scripto nihil commemoretur, sed de tabula votiva inter alia dona in templo seu sacello Saturni vel potius ante sacellum (ἔμπροσθεν τοῦ νεώ) in porticu quadam collocata, in qua adolescentes peregrini ambulare dicuntur (ἐτυγχάνομεν περιπατοῦντες). Tabulae, immo fabulae in ea pictae significationem Senex quidam explanat, periegetae vice fungens, qui donum votivum una cum sacello a quodam peregrino consecratum esse Saturno tradit, neque tamen prodit, quisnam tabulam pinxerit. Idem addit (c. 2,2) se etiamtum adulescentem a tabulae donatore expositionem fabulae in ea pictae saepius audivisse et consuetudine eius usum ita cognovisse peregrinum, ut testari possit virum prudentia et sapientia excelluisse (ἀνὴρ ἔμφρων καὶ δεινὸς περὶ σοφίαν), qui et sermone et opere (λόγῳ τε καὶ ἔργῳ)

Pythagoream et Parmenideam vitam aemulatus sit (λόγῳ τε καὶ ἔργῳ Πυθαγόρειόν τινα καὶ Παρμηνίδειον ἐζηλωκὼς βίον).

Haec sunt omnia, quae de *Tabulae* donatore et primo exegeta comperimus. Si solius Pythagoreae doctrinae et vitae aemulator nominatus esset, Cebetem Pythagoreum non accurate personatum agnoscere possemus, hominem opulentum, quippe qui templum vel saltem sacellum amplum (erat enim donis votivis refertum et porticu instructum) Saturno aedificaverit, et sectae Pythagoreae addictum, cuius socii doctrinam magistri sententiis allegoricis tamquam arcanam velabant, in vita autem ritus quosdam peculiares observabant. Cum eo charactere allegorico doctrinae Pythagoreae imago vitae humanae allegoricis figuris expressa bene convenit, praesertim cum conclusionem de principio vere divino omnium bonorum et malorum (opinatorum) fonte respiciamus, tamquam rem arcanam et silendam in vulgus non elatam. Sed praeter ea mysteria, cum Sphingis aenigmatis comparata, nihil Pythagoreum in toto opusculo invenimus.

Res clarior non fit additamento: doctrinam et vitam doctoris et exegetae *Tabulae* non solum Pythagoream, sed etiam Parmenideam fuisse. Nam de Parmenidea quadam vitae ratione antiqui nihil tradiderunt, recentiorum autem temporum viri docti solo *Tabulae* Cebeteae loco innisi putant Πυθαγόρειον καὶ Παρμενίδειον βίον pro vita optima et honestissima positum esse[40], aut eius vitae rationem iuxta Pythagoricam poni solitam[41]. Solus Carolus Joëlus[42] illam coniunctionem vitae Pythagoreae cum vita Parmenidea ita explicat, ut eam e libro deperdito de Hercule Antisthenis Cynici derivet, quem Cebes in *Tabula* sua secutus sit. Pythagoreae doctrinae nulla quidem vestigia Joëlus in *Tabula* Cebetea detexit; tanto plura Cynica et Parmenidea. Coniunctionem Pythagorae cum Parmenide inde ortam esse putat, quod Antisthenes in *Hercule* fabulam de Hercule in bivio (false Prodico ex Xenophonte, *Mem.* II 1, adscriptam) ipsum Pythagoram referre iusserit et cum ea multas sententias Parmenideas, quae ad mores et rerum cognitionem pertinent, coniunxerit. Si apud Cebetem Verae Disciplinae Falsa Disciplina opponitur et iuxta hanc Opiniones (Δόξαι) magnas partes agunt, ut iuxta illam Veritas, ad haec Parmenidae poëma de veritate et opinione vir sagacissimus multum conferre contendit variasque alias antitheses Cynicis adamatas ex eo poëmate affert. Neque his contentus testi-

---

[40] Fabricius-Harless, *Bibl. Graeca* II p. 621.

[41] Ueberweg-Praechter, *Grundriss*[11] p. 96.

[42] *Der echte u. d. Xenophontische Sokrates*, II 1, p. 326 sqq.

monia quaerit, quibus probetur etiam fictionem imaginis descriptae a Cebete adhibitam ad Antisthenem referendam esse. Qui quaerit, invenit. Ecce ea, quae Joëli sagacitatem non effugerunt: Apud Cleanthem (teste Cicerone, *de fin.* II 69) Voluptas et Virtutes in tabula quadam pictae prodibant, nec deerant plasticae repraesentationes fabulae Prodiceae (a Welckero commemoratae). Quin etiam Clemens Alexandrinus (*Paedag.* II 10) de Prodico scripsit Virtutis et Malitiae imagines subpingente (ἀρετῆς καὶ κακίας εἰκόνας ὑπογράφων). Diogenes vero Cynicus (La. Di. VI 51) de Chirone (qui in Antisthenis *Hercule* magnas partes egit) in tabula picto commemoravit. Coronam his inventis Joëlus hoc apophthegmate Antisthenis in *Gnomologio Viennensi* servato imponit: Antisthenes cum in tabula quadam Achillem Chironi ministeria facientem conspexisset, macte virtute, puer, inquit, qui propter disciplinam (παιδείας ἕνεκα) etiam beluae (θηρίῳ) ministrare non recusavisti.

Ne Joëli opinionem de Cebete Antisthenis imitatore, quem multa Parmenidae cum Pythagorae narratione de Hercule in bivio coniuncta ei debere putat, in singulis sententiis redarguere cogamur, in memoriam revocamus virum ingeniosum atque eruditum similibus verbis et sententiis ex multis scriptoribus Graecis Latinisque collectis probare studuisse maximam partem diatribarum moralium utriusque linguae ex operibus Antisthenis (a Joëlo demum reconstructis) fluxisse, ita ut sectae cynicae conditor magnitudine et facunditate ingenii vel maximos philosophos Graecos aequiperaret. Quae magnitudo Cynici eiusque auctoritatis cum post haec decem lustra a nullo fere virorum doctorum adhuc agnita sit et ut fumus dispersus evanuerit, ne nos quidem Cebetem in numero eius debitorum ponemus, praesertim cum ea, quae viris doctis Cynica vel Stoica in eius tabula appareant, ex alio fonte, nempe ex Socrate et Platone deducere malimus.

Scriptis Socraticorum eum obnoxium fuisse vel disputatio eius more Socratico de bonorum externorum indifferentia, immo ambiguitate et quae hodie vocatur „relativitate" ostendit, si eam cum longo Socratis colloquio cum adolescente Euthydemo (apud Xenoph. *Memor.* IV 2) comparamus. Praecipue disputatio (§ 34 sqq.) de eis respicienda est, quae Euthydemo ad felicitatem obtinendam pernecessaria videntur bona, ut pulchritudo, robur, opes, gloria, a Socrate autem dubia controversaque (ἀμφίλογα ἀγαθά) appellantur, cum ab eis multa eaque gravia hominibus accidant; nam (ut alia omittamus) multos propter opes emollitos deliciis atque insidiis petitos perire, multos ob gloriam potentiamque in republica magna esse mala perpessos. Argumentatione progrediente

adolescens cogitur, ut concedat (§ 38) divites (i. e., quibus plus quam satis est suppetit), cupiditate semper plura possidendi vexatos iniuste agere cogi. Exempli causa Euthydemus hoc loco tyrannos commemoravit. Eodem modo Antisthenes, Socratis ferventissimus amator eiusque paupertatis (nondum Cynicae) admirator et imitator tyrannos quosdam exagitat (Xen. *Conv.* IV 36), qui tanta opum fame laborent, ut longe graviora committant, quam homines maxime inopes, cum pecuniarum causa familias totas evertant, multos occidant, saepenumero totas etiam urbes in servitutem redigant. — Res de divitiis sub finem *Tabulae* Cebeteae disputata fusius exponitur in dialogo inter Platonis opera servato, sed etiam Aeschini Socratico attributo, re vera autem post Platonem s. III a. Chr. n. scripto, qui vulgo *Eryxias* inscribitur, sed etiam sub nomine „Erasistrati" fertur. Excutitur in eo quaestio, utrum acquirere divitias bonum an malum esse videatur, quam primus Critias ita solvit, ut dicat, quibusdam hominibus malum esse divitias acquirere, quod si bonum prorsus esset, numquam profecto malum esse aliquibus manifesto appareret. Critiae opinio ab aliis suppletur, qui dicunt: honestis viris et eis, qui uti nummis ut oportet sciant, divitias bonum esse; improbis vero et his, qui nesciant uti, malum. Eadem res Socratica vere via et ratione sub finem dialogi perquiritur concediturque divitias solis viris honestis utiles esse, si quidem prorsus his scienter utendum sit, aliis inutiles ad virtutem et felicitatem assequendam.

Haec sufficere videntur, ut M. Th. Grobeneri[43] sententiam aliquatenus probemus, qui affirmat Cebetem hac in tabula se (ubique) Socraticae doctrinae alumnum ac sectatorem prodentem numquam professum esse se Pythagoricam sequi doctrinam, — nec dogmata Pythagorae, sed Socratis in hac tabula reperiri. Ipsum Cebetem Thebanum in Platonis *Phaedone* colloquentem, philosophum Socraticum appellavit Io. Iac. Wippelius[44]. Sed cum Socratica in una tantum tabulae parte appareant, ubi de divitiarum etc. aestimatione disputatur, utrum bona sint an mala, in reliquis autem Platonis doctrina paedagogica exponatur, cuius nomen una cum comparatione quadam ab auctore laudatum clara voce magistrum indicat, quem discipulus ea in parte secuturus sit (et, ut supra ostendimus, secutus est), Cebes nobis non Socraticus philosophus, sed Socratico-Platonicus habendus esset, ut in editione in usum scholarum a Io. Schultzio curata (Hamburg 1694), nisi eum simpliciter Platonicum appellare mallemus, ut in versione tabulae Germanica a. 1781

---

[43] *Dyas animadversionum ad Cebetis Tabulam* (Misenae 1744).

[44] *De Cebetis Thebani philosophi Socratici Tabula verisimilia* (Altonae 1744).

necesse est. Inde (adhuc nescimus unde) porta in mundum, immo in vitam ducit, cui ingens turba insistit. Portam illam Senex quidam occupat superiore loco stans, qui manu altera chartam quandam tenet, altera quiddam quasi demonstrat. Totius loci condicio et prima tabulae „scaena" ita ab exegeta explicantur (c. 4,2.3): Locum istum vitam vocari; turbam ingentem, quae portae insistat, omnes esse in vitam ingressuros, Senem in porta stantem Genium (Δαίμων) appellari. Quid vero a Genio vitam intrantibus praecipiatur, demum c. 30 sqq. exponitur, nempe hoc: Fortunae, quae vitam ingressos accipit (postquam iam in ipso ingressu e poculo Fallaciae Ἀπάτης errorem Πλάνον atque ignorantiam Ἄγνοιαν biberunt et statim ab Opinionibus Δόξαι, Concupiscentiis Ἐπιθυμίαι et Voluptatibus, quae meretricum aspectus habent, abrepti atque abducti sunt) non esse credendum, cum ea ipsa caeca et mutabilis, eius autem dona minime stabilia sint, sed ab alteris ad alteros transeant; neque tamen donatricem vituperandam aut laudandam esse neque eius dona repudianda, sed eis acceptis sine mora ad stabile securumque donum, quae scientia utilium rerum sit, quaerendum ire oportere.

Attamen viam ad veram scientiam ingressis ne Falsae Disciplinae quidem evitatio commendatur, immo brevis commoratio apud eam praecipitur (c. 32,4) permittiturque, ut discipuli ab ea quidquid velint tamquam viaticum accipiant et demum postea illinc abscedere iubeantur et recta ad Veram Disciplinam pervenire. Explicatio mandatorum a Genio introeuntibus in vitam datorum his concluditur (c. 32 5): „Haec sunt, quae a Genio praecipiuntur (ἃ προστάττει ὁ Δαίμων). Cui si quis aut contrarius aut minus oboediens fuerit, miser miserrime moritur". Ita iudicio voluntatis nihil relinquitur, omnes passus hominum praeceptis Genii diriguntur, viatores in varias partes a virtutibus et cupiditatibus vitiisque personatis vel inviti trahuntur; nihilo minus poenas persolvunt, si mandatum a Genio traditum oblivioni mandaverunt...

Prima quaestio solvenda ad locum designandum pertinet, ubi turba eorum commoratur, qui in vitam ingressuri sunt (οἱ μέλλοντες εἰσπορεύεσθαι εἰς τὸν βίον, 4,3). Responsum in iis invenitur, quae Plato in fine libri X *Reipublicae* de condicione animarum narrat post hominis mortem denuo in vitam revertentium. Ex ea quidem narratione tantum singula lineamenta in *Tabulam* Cebeteam recepta sunt eaque sola nobis respicienda videntur neque obliviscendum fundamentum narrationis Platonicae in doctrina de animarum praeexistentia quae vocatur[46] et de earum transitione in alia atque alia corpora consisti. Quae ab Ero

---

[46] Stanisław Lisiecki, *Nauka Platona o prabycie duszy*, 1927.

Norimbergae edita[45]. Nam e Platonis libris de *Legibus* (quos ipse indicavit) et de *Republica* Pseudo-Cebetem ea mutuatum esse, quibus pars maxima opusculi continetur, nimirum doctrinam de praeceptoribus verae et falsae Disciplinae nec non de fructibus utriusque institutionis, supra ostendimus. Adde, quod quae in tabulae fine de principio quodam vere divino, omnium fonte, adolescentibus nondum comprehensibili, at aliquando fortasse comprehendendo, ex eis pendent, quae Plato *Rep.* VII 517 B C de dialectico progressu futuri regentis civitatis praedicavit. Ibi enim legimus in mundo intellegibili postremo boni ideam praesto esse eamque vix conspici, conspectam autem omnium rectorum et pulchrorum causam agnoscendam esse. Ea quidem resonant in celeberrima illa *Timaei* Platonis (p. 28 C) sententia, quae est: effectorem et patrem huius universi et invenire difficile et inventum indicare in vulgus nefas esse. — At adolescentes *Tabulae* Cebeteae spectatores adhuc philosophiam a Sene periegeta porrectam vix summis labris tetigerunt nec multum a vulgo differunt. Propterea boni idea nondum eis a Sene revelatur.

Qui tot opiniones Platonis veras habuit easque Senem proferre iussit, neque imagines eius cogitatione fictas contempsit eisque in tabula sua pingenda usus est. Iam supra monuimus Veritatem verae philosophiae ducem choro virtutum circumdari, de quibus Plato (*Rep.* VI p. 490 C) ita loquitur, tamquam vivae essent personae. Quis neget Cebeteum (c. 20,2) mulierum chorum (χορὸν γυναικῶν), quae Scientiam (Ἐπιστήμη) comitantur et eius sorores sunt, his nominibus (c. 20,3) insignes: Fortitudo, Iustitia, Probitas, Temperantia, Modestia, Libertas, Continentia, Mansuetudo — Platonis comitibus Veritatis respondere? Quae personae fictae quamquam et apud alios scriptores nobis occurrunt, tamen cum in eodem contextu, scilicet in narratione de via ad Veritatem, Virtutem et Felicitatem ducente nisi apud Platonem tamquam chorus mulierum non prodeant, Platonis exemplum a Ps.-Cebete imitatione expressum hic agnoscendum nobis videtur.

Maius est aliud incitamentum Platonicum, quod initium, semper difficile, tabulae totius vitae humanae pingendae Ps.-Cebeti obtulit. Hic enim pro loco, in quo vita humana agitur, declivia quasi montis (Hesiodei) sumpsit, in cuius cacumine Felicitas residet. Qui mons mundum significans tribus murorum ambitibus in tres quasi contignationes dividitur. Quod extra infimum murum iacet, extra mundum porrigatur

---

[45] *Cebes des Platonikers Gamälde des menschlichen Lebens*, apud Fabricium-Harlesium, Bibl. Gr. II p. 714 sub fin.

falsariorum etiam *Tabulae* auctor facile locum invenire posset, praesertim cum ipse se veterum Pythagoreorum doctrinae et vitae aemulatorem appellaverit, quamquam in eius doctrina nulla doctrinae Pythagoreae vestigia apparent. Voluit enim significare se Cebetem illum Thebanum esse, qui commercio Socratis et Platonis fruebatur. Quod vero Pythagoreorum more dialecto non est usus Doridi, ut alii eius aetatis falsarii (quamquam in epistulis Pythagoreorum Theano praeter tres epistulas doricas reliquas attica composuit dialecto), sed Attica, id facile eius longiore commoratione Atheniensi explicabatur. Nemo etiam placitis Platonis a philosopho Pythagoreo propagatis offendi potuit, cum omnes novi Pythagorei, ut alii eius aetatis philosophi eclectici qui vocantur Pythagoreis Platonica (nec non Peripatetica et Stoica) admiscerent.

Restat nobis ultimum aenigma solvendum: cur non solum Pythagoreae, sed etiam Parmenideae doctrinae et vitae aemulatorem se ipse appellaverit? Nobis equidem coniunctio eorum nominum inaudita atque insolens apparet; at antiqui, qui philosophum Eleatem Pythagorei Diochaetae auditorem fuisse tradunt (Strab. VI 1, p. 252; La. Di. IX 21), credere potuerunt discipuli doctrinam de moribus, si quae exstiterit, a doctrina magistri haud multum abhorruisse ita, ut Cebeti tamquam synonymis ambobus adiectivis ad rationem vitae suae designandam uti liceret. Sed huic conclusioni incerta praemittitur coniectura, qua Parmenidae — doctrina moralis Pythagorea adscribitur. Scimus enim poëmate eius tantummodo veritatem et opinionem in rebus cognoscendis tractari. Neque tamen id ignoramus[47] fuisse philosophum, qui praecipue in senectute doctrinam Pythagoreorum de numeris cum doctrina Parmenidae de veris substantiis mente sola concipiendis, quae idearum doctrinam praeparaverint, coniunxerit, nimirum Platonem. *Timaei* auctor profiteri potuit se in doctrina de rebus cognoscendis Pythagoream quandam et Parmenideam doctrinam aemulatum esse.

Qui igitur quasi per aenigma se Platonicum esse philosophum occulte significare voluit, is Platonis philosophiae appellationem coniecturalem quidem, nec minus veram ad se transferre potuit et pro Platonis sectatore se doctrinae Pythagoreae et Parmenideae (quae eadem Platonis propria erat) aemulatorem in conspectum dare. Quae circumscriptio ut aliquatenus intellegatur, auctor, qui nullos ceterum doctrinae suae testes laudat, Platonem praecipue citat et comparatione quadam e libro *de Legibus* prolato fontem monstrat, unde magnam partem doctrinae de

---

[47] Quod in quolibet enchiridio historiae philosophiae Graecae legitur.

de iudicio mortuorum eiusque eventu narrantur, nihil ad Cebetis tabulam explicandam faciunt. Itaque aliis praetermissis in eo loco subsistimus, in quo filiae Necessitatis (τῆς Ἀνάγκης) Parcae in soliis sedent (p. 617 C sqq.). Animae primum ad Lachesin accedunt et ante eius thronum a propheta (προφήτης) quodam ordine singulae disponuntur. Qui cum ex genibus Lachesis sortes et vitarum exempla (κλήρους τε καὶ βίων παραδείγματα) sumpsisset, suggestum (βῆμα ὑψηλόν) ascendit et in nomine Lachesis animas alloquitur initium novi circuitus generis mortalis eis annuntians. Quod initium sorte eligenda constat, qua electa postea (p. 620 DE) unicuique genius (δαίμων), quem elegerat quisque, custos vitae electorumque perfector (ἀποπληρωτὴς τῆς τῶν αἱρεθέντων) adiungitur. Ad eum genium a singulis eligendum propheta animas evocat praemonetque, ne culpam inconsideratae malaeque electionis deo attribuant additque in vita electa unicuique necessario manendum fore (p. 617 E). Quidnam vero electioni momentum faciat, non iam a propheta, sed ab ipso Socrate comperimus (p. 618 BC), qui variis vitarum sortibus perlustratis periculum electionis extollit, quod ut evitetur homini in hac vita omnes vires intendendas commendat, ut quisque omissis ceteris studiis (τῶν ἄλλων μαθημάτων ἀμελήσας) eam potissimum quaerat sequaturque doctrinam, quae docet, quo modo vita bona a mala discernatur, ut ubique meliorem pro facultate eligere possit, scilicet eam, quae ad iustitiam et felicitatem ducat...

Talia Erum a propheta illo audisse Socrates confitetur (p. 619 B) et quasi ex eius suggestu eum reprehendit, cui primo sors obtigerat et qui propter inscitiam et aviditatem confestim vitam tyranni elegit non satis prius examinatis, quae mala ea vita secum ferat; dato vero ad considerationem spatio electionem suam lamentabiliter deploravit et se ipsum accusavit, quod quae propheta praedixerat non servaverit. Nescimus quidem, unde Socrates sciat eum paenitentem ex eis fuisse, qui de caelo venirent et qui priorem vitam in vita ordinata egissent, usu sine philosophia virtutis participes; sed eam opinionem memoratu dignam putamus, qua non solum philosophiae, sed etiam virtuti in vita exercitae meritum attribuitur, ut animae in nova vita eligenda bonam sortem arripiant.

Ex his quae adhuc protulimus, apparet Ps.-Cebetem in prima *Tabulae* „scaena" id temporis momentum repraesentavisse, quo homines in vitam ingressuri et suam sortem electuri a Genio (31,1 Δαίμων, cf. 24,3 Δαιμόνιον) quodam ad electionem rectae vitae diriguntur, a via autem sinistra deterrentur — incassum, cum homines a Fallacia (Ἀπάτη) decepti ignorantiam ex eius poculo bibant et falsis opinionibus

PINDAR, *PYTHIA* VIII

By

JOSEF NĚMEC

We do not know in what alphabet Pindar has written his poems. The re-written Athenian text quoted by Plato was basis for the Alexandrian editions. Some recently found papyri let us see that the Alexandrian vulgata grew up ramified. The end of the preserved text of paean VI: [στεφά]νοισι πᾶν [εὐ]θαλέος ὑγιε[ίας] σκιάζετε has in scholium a second version μὶν instead of πᾶν, and both papyri (Oxyrh. Pap. V 841 p. 40, Papiri greci e latini II 147 p. 75) differ in the last line. What mistakes there were in the archetyp of the preserved manuscripts, we see indirectly from paean IV, quoted by Plutarch, *de exilio* 9, 602 (Pindar fr. 44 v. 42 Turyn): ἐλαφρὰν κυπάρισσον φιλέειν, ἐᾶν δὲ νομὸν Κρήτας περιδαίων, and Oxyrh. Pap. V 841 v. 49: ἔα φρὴν κυπάρισσον, ἔα δὲ νομὸν περιδάϊον (cf. Wilamowitz, Hermes 38, 1902, 351; *Pindaros* 473). The last stadium of the constitution of Pindar's text is the edition of Turyn (*Pindari Carmina cum fragmentis*, Cracoviae 1948). Wilamowitz thinks that it is impossible to constitute the Alexandrian vulgata or an autography of Pindar as there are no philologic expedients to start from. Whenever the extant text is „le galimatias impénétrable des copistes" is it preposterous when we attempt to penetrate it?

Not long before his death, Pindar wrote Epinicus *Pyth.* VIII Ἀριστομένει Αἰγινήτῃ παλαιστῇ νικήσαντι τὴν Λε' Πυθιάδα (*Scholia vetera* II, *Pyth.* VIII inscr., ed. A. B. Drachmann; Gundert, *Der alte Pindar*, Mnem. Th. Wiegand, München 1938, 263). In the year in question, viz. 446/5 B. C. the Athenian Land-League broke down by the capitulation of Tolmides at Coronea, Boeotia with Thebes, Delphi and Megara got free; all Cities concerned treated about peace that was concluded in the winter 446/5 B. C. between Sparta and Athens for 30 years. The first triade of Pindar's poem is an invocation to the Goddess of Quiet (Ἡσυχία), the end is a gratulatory apostrophy of Aegina and a prayer to Zeus to protect her; the rest is a lyrical commentary on Pindar's faith in divine government of the world. It equals substantially the Encomium to Theron *Ol.* II, written in the year 475 B. C. Hybris is always punished, Good is in mutual intercourse with Evil. Seven heroes with Amphiaraus died in front of Thebes, but their sons with Alcmaeon subverted the town the citizens of which ran away. In the next verses Pindar speaks mainly about himself, he expresses his own opinions and expe-

tues of Mother and Pan made by two artists of Thebes were inside this sanctuary (Philostratus II 2, 12). Pindar's Pan is called a dog, i. e. watchman, φύλαξ in fr. 110. Remembering that Pan appeared to Pheidippides before the battle of Marathon we shall hardly doubt that the poet is speaking (verses 54 sq.) about this Pan's adoration, sanctuary and appearing on his way to Delphi, cf. *Nem.* VII 33: βοαθόων, τοὶ παρὰ μέγαν ὄμφαλον εὐρυκόλπου μόλον χθονός, Paean VI 9: ἦλθον ἔταις ἀμαχανίαν ἀλέξων τεοῖσιν ἐμαῖς τε τιμαῖς. As explication of these verses was given on other places of epinici, in introduction and biography of Pindar, therefore the scholia to these verses of *Pyth.* VIII are so poor and confused. The result is unavoidable, viz. that the name Ἀλκμᾶνα, a statement metrically incongruent and in all respects strange is an old corruptel of codex archetypus for a name of the god Pan. In fr. 241 Turyn, Pindar is speaking about Pan adored in Mendes in Egypt: αἰγιβάται ὅθι τράγοι γυναιξὶ μίσγονται (cf. Herod. II 46 and 195; *Theol. orph.* 36 and 48 Abel; Diod. I 84; Nigidius in schol. Germanicus' *Aratea* p. 407 Eyssenh.). The later Orphic and Stoic identification of Pan with τὸ πᾶν was scarcely known to Pindar and the fr. 145: τί θεός; ὅτι τὸ πᾶν (Clemens Alex. *Strom.* 5,129,1; II p. 413, 12 Stählin) is textually quite uncertain. Considering its semantic and phonetic plausibility, we may accept Curtius' etymology which explains the word Πάν as being derivated from the root * pā-, formed just as the Arcadian names Ἑρμάν, Λυκάν, Ἀλκμάν (Curtius, *Grundz.*[5] 270; Fick, *Vergl. Wörterb.* II 139). Pan is Ἐπιάλτης, Ἐπωφέλης τῶν φαντασιῶν αἴτιος (Hesych. and Photius s. v. Πανὸς σκοπός). The meeting of Pan with Pindar, when the latter was on his way to Delphi and heard his paean whistled on a syrinx or pipe we may explain in the manner of Euhemerus. A shepherd piped in rocks of Helicon during a stifling midday and Pindar resting in the shade of a tree heard the very melody he heard since long in his soul. Pindar's own adoration of Pan in his sanctuary is described in v. 56 sq.: χαίρων δὲ καὶ αὐτὸς Πᾶν' ἅμα (ΠΑΝΗΑΜΑ, codd. Ἀλκμᾶνα) στεφάνοισι βάλλω, ῥαίνω δὲ καὶ ὕμνῳ (cf. φᾶ κτεάνων θ' ἅμα λειφθεὶς καὶ φίλων, *Isthm.* II, 11; λεπτοῦ διανισόμενον χαλκοῦ θ' ἅμα καὶ δονάκων, *Pyth.* XII, 25). It is an analogous utterance of adoration as the so-called phyllobolia which expresses admiration for victorious contesters, *Pyth.* IX 123: πολλὰ μὲν κεῖνον δίκον φύλλα ἔπι καὶ στεφάνους. Pan is in Pindar's Hymn σεμνῶν ἀδύτων φύλαξ, in the Epinicus v. 58: γείτων ὅτι μοι καὶ κτεάνων φύλαξ ἐμῶν ὑπάντασεν ἰόντι γᾶς ὀμφαλὸν παρ' ἀοίδιμον. Pan's adoration in Arcadia and Boeotia is pictured on many votive reliefs and vases, e. g. on a relief from Cabirium: Hermes is bringing

riences. The verses (57—75 Turyn) are preserved without variants; therefore, we read them as they were in the archetyp. This part is followed by a list of Aristomenes' victories (v. 77 sq.): ἐν Μεγάροις δ' ἔχεις γέρας, μυχῷ τ' ἐν Μαραθῶνος, Ἥρας τ' ἀγῶν' ἐπιχώριον νίκαις τρισσαῖς etc. Thereto the schol. 91a says: πρὶν λαβεῖν τὰ Πύθια νενικηκότος ἐν οἴκῳ, τουτέστι ἐν Αἰγίνῃ ἀγῶνα ἱερὸν Ἀπόλλωνος Πένταθλον and other schol. to v. 66: πενταθλίου σὺν ἑορταῖς ὑμαῖς ἐπάγαγες enlarge the explanation: πλεονάζει τούτῳ ὁ Π., τιμᾶται δὲ σφόδρα ἐν Αἰγίνῃ Ἀπόλλων καὶ Ἄρτεμις. That his victories should be commemorated on two places, seems highly suspicious; not more credible is that Aristomenes, known as a young palaestrit, should gain a victory in pentathlon. In Pindar's verses there is not a hint for the statement of the scholia. Another false explanation give schol. 99a to v. 70: κώμῳ μὲν ἀδυμελεῖ Δίκα παρέστηκε (τουτέστι) τῷ μὲν χορῷ ἡμῶν δικαιοσύνη παρέστηκε, οὐ ψευδόμεθα οἷς λέγομεν περὶ τοῦ Ἀριστομένους, Aristomenes' triumphant thanksgiving κῶμος to Apollo at Delphi, v. 19: Ξενάρκειον ἔδεκτο Κίρραθεν ἐστεφανωμένον υἱὸν ποίᾳ Παρνασσίδι Δωριεῖ τε κώμῳ, is identified with the epinicus in Aegina. It is only a presumption that the chorus speaks on behalf of the victor: ὡς ἀπὸ τοῦ χοροῦ τὸ πρόσωπον μιμουμένου τοῦ νενικηκότος, schol. 78a. It is impossible, however, to produce from Pindar's Epinicus any evidence corroborating such a presumption (Wilamowitz, Pindaros 441). On the contrary, it is easy to put forward stringend philological and archeological objections against the term Ἀλκμᾶνα (v. 57) and ὑμαῖς (v. 66), used in the verses in question. Nowhere else Alcmaeon's being adorated as a hero is mentioned; it seems improbable that a man who was incendiary of Thebes and his own mother's murderer should have had a heroon just in Thebes or should have been honoured by Pindar. Also his hereditary art of prophecy is quite unusual. Alcmaeon's oraculum in Acarnania is perhaps a late mistake (Clemens Alex., *Strom.* I 21, 134 p. 83 Stud.; cf. Rohde, *Psyche*[8] I 189 n. 1).

We read in Vita Ambr. I 2 and in Eustathius prooem. 27 p. 298 Drach.: ὁ γοῦν Πὰν ὁ θεὸς ὤφθη μεταξὺ τοῦ Κιθαιρῶνος ᾄδων παιᾶνα Πινδάρου· διὸ καὶ ᾆσμα ἐποίησεν εἰς τὸν θεόν, ἐν ᾧ χάριν ὁμολογεῖ τῆς τιμῆς αὐτῷ, οὗ ἡ ἀρχή· ὦ Πάν, Ἀρκαδίας μεδέων καὶ σεμνῶν ἀδύτων φύλαξ (fr. 110 Turyn). Pindar speaks about his hymn to Μάτηρ in a poetic letter to Hiero (*Pyth.* II 78): ἀλλ' ἐπεύξασθαι μὲν ἐγὼν ἐθέλω Ματρὶ τὰν κοῦραι παρ' ἐμὸν πρόθυρον σὺν Πανὶ μέλπονται θαμὰ σεμνὰν θεὸν ἐννυχίαι. Pindar has built the sanctuary for both these gods near to his house in Thebes that was seen by Pausanias (IX 25,3). Sta-

a wreath and branches to Pan (Robert, JDAI 1890, 23; Arch. Anz. 1895, 36; Daremberg-Saglio, *Dict.* fig. 5494) and on a vase in Leningrad: Dionysus with little horns and branch of laurel is standing in front of a sitting Rhea, on the right side young Pan is pictured with horns and a laurel branch, on the left side there is a woman with patera (Compte rendu de Saint-Petersbourg, Atlas 1862, tab. V; Reinach RV I 13). Pindar considered his meeting with Pan as a proof of the God's favour and an approval of his musical art. Whistling its melody, Pan approved of Pindar's VI paean the content of which perhaps alluded to the possible political developments involved in the war of Athens with Aegina. The poet considered this whistling as a form of prophecy. Pan's prophecy is known from scholia to Theocrit's idyll I 121 and Pausanias VIII 34, 11, this corroborated by the hypothesis to Pindar's *Pyth.* II, where we read that Apollo had learned this art from Pan. V. 60 indicates the same: μαντευμάτων τ' ἐφάψατο συγγόνοισι τέχναις, sc. μοῦ, cf. *Ol.* I 85: οὐδ' ἀκράντοις ἐφάψατο ἔπεσι, sc. Ποσειδάονος. I think one must understand the vers thus: „Pan addressed me by cognate art of prophecy". Σύγγονος is used by Pindar when real relationship is understood, cf. *Ol.* XII 14: συγγόνῳ παρ' ἑστίᾳ, *Nem.* XI 12: πατέρα ..... Ἀρτεμίαν τε σύγγονον. Pindar's family are the Αἰγεῖδαι, cf. *Pyth.* V 75: φῶτες Αἰγεῖδαι ἐμοὶ πατέρες, and schol. 99a—101a Drach. Αἰγεύς, Αἰγίμιος (personal names, cf. CIG 2374, 6047, 7110, 8440b) clearly belong to word αἴξ; having in mind these connecting links, viz. the technical use of the word σύγγονος and the etymology of the name of Αἰγεῖδαι, we find it very likely that the poet considers himself to be one of Pan's descendants and his musical art to be a feature of this clan. This being so Pan's sanctuary and adoration was a manifestation of the cult of the ancestors (cf. Wilamowitz, *Pindaros* 477). Pindar's personal religious thought was especially devoted to Pan, Mother and Apollo: ᾄδεται δὲ καὶ ὡς εὐσεβὴς ἦν τιμῶν Πᾶνα καὶ Ῥέαν καὶ Ἀπόλλωνα (Eustath. prooem. 298, 7 Drach.). In the same way as a Christian is devoted to his Saint Patron, Pindar was devoted to Apollo of Delphi; Apollo called Pindar to himself and guided him trough his life (Wilamowitz, *Pindaros* 61; Fraenkel, *P-s Religion*, Antike 3, 1927, 39). We seem also to read these experiences in the following part of the poem (v. 61—100), which is intimately connected with what has been found previously.

Apollo, Pindar's God, gave him the greatest pleasure, grace, the proxeny, v. 64: τὸ μὲν μέγιστον τόθι χαρμάτων ὤπασας. Eustath. prooem. 27, 293 Drach. Vita Thom. I 5: Ἀπόλλων γοῦν οὕτω αὐτὸν ἐφίλει ὡς καὶ μερίδα λαμβάνειν ἐκ τῶν θυομένων ἐκείνῳ καὶ τὸν ἱερέα δὲ βοᾶν ἐν

et concupiscentiis agitati Fortunae caecae dona instabilia eligant, inter quae etiam Falsae Disciplinae i. e. falsae philosophiae fructus inveniantur. Fallaciae potio illi respondent, quam apud Platonem (*Rep.* X p. 621 A) animae, priusquam ad nascendum veniant, in Oblivionis campo (Λήθης πεδίον) ex flumine Incuriae (Ἀμελὴς ποταμός) bibunt. Ignorantium error finem cepit, postquam Verā Disciplinā ad virtutem convertuntur, quae vera scientia (ἐπιστήμη) imbutos ad Felicitatem ducit, a qua victores cupiditatum coronantur (c. 22,1 sqq.) Nec aliter Socrates (*Rep.* X p. 621 C) de eis loquitur, qui viam semper ad superiora ducentem secuti et dum hic manent (i. e. in terra) et postea praemia virtutis, id est felicitatem reportaturi sunt, quemadmodum victores praemia colligentes (ὥσπερ οἱ νικηφόροι περιαγειρόμενοι).

Sic a prima „scaena", in qua animae vitas in corporibus electurae a Daemone (seu Daemonio) docentur, qui et Prophetae Platonico et Genio (Δαίμων) vitarum custodi respondet, usque ad exitum, in quo victores a Felicitate coronantur, narratio Eri ante Ps.-Cebetis oculos versatur, qui cum id consilium persecutus sit, ut Falsae Disciplinae, quae ad omnia mala et miserias per viam lēvigatam facilemque traheret, Veram Disciplinam i. e. veram philosophiam, felicitatis auctorem ardua via obtinendae opponeret, ex ipsa imagine inferorum Platonica pauca, nec tamen levia lineamenta in *Tabulam* suam transtulit; tanto plura e colloquiis in *Republica* et in *Legibus* mutuatus est.

Quae omnia sufficiunt, ut eum Platonicum fuisse concedamus et in numero eorum philosophorum ponamus, qui s. II p. Chr. n. floruerunt, ut Caius Platonicus, Albinus, Apuleius, praesertim Calvisius Taurus, qui eos impugnabat, qui in doctrinam Platonis placita Peripateticorum et Stoicorum inducebant. Et noster enim monet (c. 13,2), ne adolescentes Peripateticos magistros sequantur, nec placitis Platonis Stoica illorum temporum more admisceant. Cur igitur non Platonicae, sed Pythagoreae et Parmenideae doctrinae et vitae imitatorem se ipse appellavit? Pythagorae nomen hic non miramur, cum sciamus inde a saec. I a. Chr. n. (quo Nigidius Figulus Romae doctrinam sapientis Samii resuscitavit) novos Pythagoreos, ut Moderatus Gaditanus, Nicomachus Gerasenus, magna auctoritate usos esse ita, ut s. II multa apocrypha Pythagorea divulgarentur sub nomine veterum Pythagoreorum, ut Briso, Callicratidas, Phintys, vel etiam mulierum ex eadem secta, ut Perictione. Adde quod eorundem falsariorum manus subditiciae epistulae Pythagorae et Pythagoreorum redolent, quin etiam Antonii Diogenis fabula *de Incredibilibus ultra Thulen* ad novorum Pythagoreorum doctrinam propagandam scripta esse videtur. In ea societate

interposito, quod accusativo pluralis formaque Dorica prodit ἀμφιμάτορας) in Euripidis *Andromacha* (v. 466) legitur, et ex eisdem *Heraclidis* Hesychius vocem ἐπιγλωσσῶ affert (cum explicatione: ἐποιωνίζου διὰ γλώσσης — fr. 77 N² = 59 Mette), quae vox eadem significatione eademque forma grammatica in *Choephoris* (v. 1045) occurrit. Körte hac in quaestione cautissime agit; glossa enim Hesychiana allata non dicit nisi haec: *Die Fülle seltener Worte legt den Gedanken an Aischylos nahe.* Fritsch fragmento indicem facit *Aischylos, Herakliden*, sed addito interrogationis signo. Mette omni dubitatione abiecta inter fabulae illius fragmenta collocat Fayûmense; etiam Untersteinero res nullam dubitationem movet. Et certe veri simillimum id esse nemo negare possit, certumque licebit vocare, cum, fragmento diligenter examinato, nihil in eo opinioni huic obstare apparebit.

Ex Aeschyli *Heraclidis*, praeter duo iam commemorata fragmenta brevissima, etiam alia duo servata habemus: alterum paulo maius (74 N² = 56 Mette) ex chori cantico, ubi Herculis labores enarrabantur, alterum ex uno versu constans (75 N² = 58 Mette), ad quod infra revertendum erit nobis. Quae universa ad fabulae argumentum illustrandum non sufficiunt. Nihilominus inter omnes doctos (de exceptionibus infra dicetur) creditur, mythum in fabula hac a poeta tractatum eundem fuisse atque illum, qui Euripidis *Heraclidarum* argumentum efficit: liberos Herculis dico post patris mortem ab Eurystheo vexatos Atheniensesque auxilium eis ferentes. Haec tamen opinio non nititur nisi titulorum similitudine; quod fundamentum non sufficere vix est quod moneam: exempli causa vel *Supplices* utriusque poetae aut Phrynichi Euripidisque *Phoenissae* nominari possint.

Hac ex communi opinione sine argumentis accepta fragmenti papyracei restitutio manavit, quam apud Fritschium legimus. Huic enim eisque, quorum supplementa probat (B. Snellio et K. Lattio), versus illos dicere videtur Eurystheus, domus, ubi Herculis liberi reguferint, incendium parans; textusque mutilus ita ab illis suppletur, ut argumento huic satisfaciat.

En ecce fragmentum Fayûmense qua est specie in Fritschii editione:

]λι[ ]ν καὶ[
–]ν γὰρ αὐτότευκ[τον] ἦν, ἐν[– ∪ ⏑
πυρσοὺ]ς ἐν ὑψηλοῖσι θα[λαμ]ούχοι[ς ∪ ⏑
ἔνδο]ν δὲ παῖδες ΟΙΔΕ! [ἀ]μφιμή[τορες

V. 2. Körte ἀντ̣[ί]τευκ[τον] legit, sed ντ incertissimum esse dicit. Ante eum μ̣ legebat Lefebvre idemque etiam fieri posse censebat ut duae scriptae essent litterae. Körtii lectionem probari non posse Fritsch statuit, tabula phototypica examinata (*nach der Tafel der ersten Publikation unmöglich*): certum enim esse, post α non legi ν et ante τευ ad spatium explendum non sufficere ι. Idem Snellii lectionem recipit αὐτότευκ[τον, quae etiam eis probatur, qui post Fritschium fragmentum hoc typis expresserunt, quaeque vera videtur esse[5]. Vox αὐτότευκτος, etsi adhuc testimonio non confirmata est, optime tamen cum dictione tragica consonat, ubi vocabula composita, quorum partem priorem efficit αὐτο-, saepe occurrunt.

V. 3. Nemo non videt,]σεν initio servatum etiam -ς ἐν vel -σ' ἐν significare posse. In eis quae sequuntur Körte θα[λαμ]ο̣ύχοι[ς restituit, vocem nullo sane testimonio confirmatam, sed per se probabilem et vere tragicam.

V. 4. Körte adnotat: *Nach οιδε eher ν als γ, doch scheint οἶδε γ' nicht ganz unmöglich*; idem in textu οἶδε[ν] scribit. Secundum Fritschium — *οἶδεν oder οἶδε γ', beides paläographisch möglich, aber schwierig*; — hic in textu caute OIΔE! ponit litteris maiusculis scriptum. Quam ad quaestionem infra revertemur.

In fine versus 4 iam Körte [ἀ]μφιμή[τορες supplevit. Vocem hanc ex Aeschyli *Heraclidis* Hesychius affert: ἀμφιμήτορες· οἱ ἐκ πολλῶν μητέρων γεγονότες ἀδελφοί. Αἰσχύλος Ἡρακλείδαις[6] (fr. 76 N²). De Hercule si agitur, non est quod miremur, παῖδας ἀμφιμήτορας commemorari: nemo nescit, in fabulis, quibus Hercules celebratur, saepius de multis quas heros ille amaverit mulieribus narrari deque liberorum ex eis procreatorum multitudine[7].

Non licet sane affirmare, ex sola glossae Hesychianae cum fragmento papyraceo — plena, nam et in numero et in casu posita — similitudine sine ulla dubitatione sequi, id ad Aeschyli *Heraclidas* pertinere: vox enim ἀμφιμήτωρ eadem significatione usurpata (eo tantum discrimine

---

[5] Supplementum [τον per se certum dicere non licet, cum etiam αὐτότευκτος scriptum esse potuerit; sed probabile esse infra apparebit.

[6] Ἡρακλίδ... cod., corr. Musurus. — Cf. Suidam qui vocatur A 1747 Adl.: ἀμφιμήτωρ· ὁ ἑτερομήτωρ· Αἰσχύλος. Phrynich. *Praepar. sophist.* p. 8, 1 Borr. (=Bekk. *Anecd.* I 6, 24): ἀμφιμήτωρ· ὁ ἐξ ἑτέρας μητρὸς ἀδελφός. Phot. Berol. p. 102, 25: ἀμφιμήτωρ· ὁμοπάτριος μέν, οὐχ ὁμομήτριος δέ. Hesych.: ἀμφιμήτωρ· ὁμοπάτριος, ἀλλ' οὐχ ὁμομήτριος.

[7] Cf. ex. gr. Ps.-Apollod. *Bibl.* II 7, 8; schol. Soph. *Trach.* 460. Sophocles narrationibus illis in Deianirae utitur oratione simulata (*Trach.* 459 sq.).

DE AESCHYLI *HERACLIDIS*

Scripsit
STEPHANUS SREBRNY

I

Anno 1912 Gustavus Lefebvre in commentariis qu. inscr. Bulletin de la Société Archéologique d'Alexandrie, vol. XIV, frustulum papyraceum in oppido Fayûm repertum publici iuris fecit, sex continens versus plus minusve mutilatos, quos tamen iam primo obtutu tragicos trimetros esse pro certo statuere licet. Papyrus supra et in utroque margine abrupta est; infra desinit columna. Scriptura saec. II—III post Chr. n. tribuitur[1]. Editor princeps tabulam phototypicam adiecit; qua tamen, cum commentarios supra nominatos inspiciendi facultatem frustra quaesivissem, uti, quod valde doleo, non potui.

Textum anno 1924 iterum typis expressit Alfredus Körte (Archiv für Papyrusforsch., vol. VII p. 141), commentario brevissimo addito, restituendi conatu paene nullo capto[2]. Tertium editum fragmentum in C. E. Fritschii exstat dissertatione qu. inscr. *Neue Fragmente des Aischylos und Sophokles*, Hamburgi 1936, p. 14, cum B. Snellii, K. Lattii, editoris supplementis. Fritschii textum, omisso versu 7 a Lattio addito, H. J. Mette in *Supplementum Aeschyleum* (Lietzmanns *Kleine Texte*, Berolini 1939) recepit numeroque 57 signavit[3].

Quae in papyro leguntur haec sunt:

]λι̣[ ]ν κα̣ὶ̣ [
]ν γὰρ αὐτ̣ό̣τευκ[ ] ηνεν[
]σεν ὑψηλοῖσι θα[ ]ο̣ύχοι[
]ν̣δε παῖδες οιδε ! [ ]μφιμη[
]ν ἄρδην καυσίμοις ενδ[
]τ̣α καὶ λοπῶντα̣[4] φαρμάκου [

---

[1] Solus Oldfather, *The Greek Literary Texts from Greco-Roman Egypt* (Univers. of Wisconsin Studies in the Social Sciences and History, 9), Madison 1923, de I post Chr. n. saeculo loquitur.

[2] Qui se in restituendo nihil profecisse ipse fatetur: *Die Verse, zweifellos tragische Trimeter, herzustellen ist mir nicht gelungen.*

[3] Secundum Mettium fragmentum affert Mario Untersteiner, *Gli „Eraclidi" e il „Filottete" di Eschilo* (Biblioteca dell'Istituto Nazionale del dramma antico, 2), Firenze 1942, p. 15. Idem anno praecedenti, ut docet Untersteiner, novorum Aeschyli fragmentorum corpori a se confecto R. Cantarella inseruit (in Appendice operis sui qu. inscr. *Eschilo, Parte I: Tradizione ed originalità*, Bibl. dell'Ist. Naz. del dr. ant., 1).

[4] τα̣ versui suprascriptum est.

the good and evil vary according to the will of God. Success or failure rests with God — that is the keynote of *Pyth.* VIII.

Pindar's verses of Pan's adoration and Apollo's service are not in disharmony with the composition of the Epinicus as a whole, which is quite customary; just as Amphiaraus forsaw the change of Thebes' fate and the victory of the 'Επίγονοι, so in the same way Pindar's poetic forebodings about the conflict between Aegina and Athens came true; they were approved by Pan in accordance with the policy of the Delphic Oracle. Apollo rewarded the poet richly by honours and poetical successes. Pindar believes that he is given the acumen of poetical knowledge — σοφία — by Pan and Apollo, but he mentions it according to his fashion only in gloomy hints to mythic paradigmata about Amphiaraus and Alcmaeon, whose name is really too occasional in v. 46. This belief of his is well known: it is some mystic quality, which sets Pindar apart from others as the man whom Apollo had elected and who possibly felt himself an instrument of the God (cf. Gundert, *Pindars Dichterberuf* 61 sq., note 385).

Why does Pindar recover old pictures of poetic memories of Apollo and the people of Aegina? In our Epinicus there are many echoes of the paean VI, v. 6: ἀοίδιμον προφάταν ~ *Pyth.* VIII 59: ὀμφαλὸν παρ' ἀοίδιμον, 12 παῖς ἄτε ματέρι κεδνᾷ ~ 85 παρ' ματέρι ἀμφὶ γέλως, 17 χθονὸς ὀμφαλὸν παρὰ σκιάεντα ~ 59 ἰόντι γᾶς ὀμφαλὸν πάρ', 53 βροτοῖσι δ' ἀμήχανον εὑρέμεν ~ 92 ἐν ὀλίγῳ βροτῶν τὸ τέρπνον αὔξεται. The theme of Sogenes' Epinicus *Nem.* VII, that the good and evil is given by the will of God (cf. v. 54 sq.: φυᾷ δ' ἕκαστος διαφέρομεν βιοτὰν λαχόντες, ὁ μὲν τά, τὰ δ' ἄλλοι· τυχεῖν δ' ἔν' ἀδύνατον εὐδαιμονίαν ἅπασαν) is also the kernel of the whole — and perhaps last — epinicus of Pindar. In the year 446 B. C., peace was discussed between Athens and Sparta: such a peace could have aroused Aegina's hopes to recover lost freedom. It seems probable that the poet seeks in this situation an analogy of the political problems of the year 490 B. C., when during the war, ἀκήρυκτος πόλεμος, Herod. VI 49, Sparta asked in Delphi for an arbitrage between Demaratus, whose favour was with Aegina and king Cleomenes who took the Athenian side and gave the hostages of Aegina to Athens (cf. Munro in CAH IV 260). Perhaps a settlement was agreed between both the unfriendly powers because the Aeacides and the navy of Aegina fought gloriously at Salamis. It is possible that the real source of the ill-feeling in Aegina was more the policy of Apollo and the Paean VI of Pindar, the very herald of religious and moral hegemony of Delphi, than an offence of the adopted national hero Neoptolemus, king of the

praeparatione adolescentium ad veram philosophiam hauserit. Sed haec omnia potius innuuntur, quam clare dicuntur, quae ratio de se loquendi inde ab initio opusculi observatur, ubi Cebes Pythagoreo-Parmenideus i. e. Platonicus non auctor dialogi, sed donator Tabulae in porticu templi Saturni a se conditi collocatae prodit. Tot simulationibus usus est Cebes personatus, quas ut detegamus et Platonicum philosophum s. II medii p. Chr. n. ostendamus, longiore nos progredi via oportuit, quam fetus satis mediocris (nec minus tamen inde a s. XVI adamatus) meretur. Id tamen civi Cracoviensi dat excusationem, quod Cebes primus fere auctor Graecus fuit, qui saeculo XVI animos magistrorum et doctorum humanitatis Cracoviae occupabat; cuius ope pueri Cracovienses mysteriis linguae Graecae initiabantur et quod extremum nec tamen levissimum est, cuius Tabula a. 1533 in parietibus oeci „sub capitibus" in palatio olim regio picta, maximum (saltem dimensione) est opus eius artis, quod adhuc innotuit. Ergo habet apud nos pretium affectionis.

Cracoviae

ταῖς θυσίαις. Πίνδαρος ἐπὶ τὸ δεῖπνον τῷ θεῷ. This was perhaps a reward for *Paean* VI. This distinction was preceded by others, v. 65: οἴκοι δὲ πρόσθεν ἁρπαλέαν δόσιν πενταεθλίου σὺν ἑόρταις ὕρχας (codd. ὑμαῖς, Ea. corr. ὑμᾶς) προσάγαγες. Because the chorus does not speak in Aristomenes' name, the word ὑμαῖς is a misdated word and cannot be connected with others to make an acceptable sense in the text preserved. The explanation of scholia: τὸ δὲ ὑμαῖς ἀντὶ ταῖς σαῖς is conjecturale and not correct. Ἀοίδιμος Πιερίδων προφάτας (*Paean.* VI 5), the poetic herald of the Delphic wisdom, remembers how Apollo gave him portions of sacrifice in Delphi and at home on the occasion of gymnastical feasts. Ὕρχα, a jar for pickles, in Aristophanes *Vesp.* 676: δωροφοροῦσι ὕρχας, οἶνον, τυρόν, μέλι, σήσαμα, καπίθας. The indignation of the people of Aegina caused by the offence of Neoptolemus in paean VI was relieved by the good result of the quarrel with Athens. Pindar got an occasion to demonstrate his good intention in Epinicus *Nem.* VII: Σωγένει Αἰγινήτῃ παιδὶ πεντάθλῳ. In the paean VI Neoptolemus was punished for the murder of Priam. This conception is mitigated in *Nem.* VII, 42: κρεῶν νιν ὑπὲρ μάχας ἔλασεν ἀντιτυχόντα ἀνὴρ μαχαίρᾳ. Neoptolemus took a piece of sacrificial meat in Delphi during the θεοξένια and therefore the priest Machaereus killed him. In v. 65 ἁρπαλέαν δόσιν is perhaps a hint to this accident and the quarrel of young Pindar with the citizens of Aegina such a serious experience of his life, that he cannot forget it. Wackernagel's etymology *ἁλπαλέος: *Fελπ-*, *volup-*, is in this verse unnecessary (KZ 1910, 377). At the end of the invocation of Apollo to be gracious in his all doings in future, there is a serious difficulty in manuscript-text v. 68: κατά τιν' ἁρμονίαν βλέπειν ἀμφ' ἕκαστον, ὅσα νέομαι (κατὰ τίν = σέ Hermann, κατὰ τίν = σοί Pauw, κατὰ — ρέπειν Bergk, κατ' ἐμίν Schroeder PLG I, who tries to defend the extant text in the Commentary to *Pythia*). In vers 71 we read: θεῶν δ' ὄπιν ἄφθιτον αἰτέω, Ξένάρκες, ὑμετέραις τύχαις. The poet wishes constant, unchanged grace from the gods for Xenarces and all people of Aegina in future, cf. ὄπιδος κρατερὸν δέος, *Odyss.* XIV 88; Μοῖραι ..... δώωσι κακὴν ὄπιν, ὅς τις ἁμάρτῃ, Hesiod. *Theog.* 222. Pindar wishes to Aegina constant happiness, lucky escape from her situation in dealing about peace, for himself he prays humbly only to get harmonious bless as the overlasting happiness is not given to man, v. 67 sq.: ὦναξ, ἑκόντι δ' εὔχομαι νόῳ κατ' ὄπιν ἁρμονιᾶν βλέπειν. The word ἁρμόνιος is used first in Septuagint, therefore it is necessary to read ἁρμονιᾶν, cf. μάρτυροι ἔσσονται καὶ ἐπίσκοποι ἁρμονιάων, *Ilias* XXII 255. When he writes the rest of the poem, Pindar knows that

ϑάνοιε]ν[8] ἄρδην καυσίμοις ἐν δ[ώμασιν,
ῥαγέν]τα καὶ λοπῶντα φαρμάκου [μένει
[τοῦδ' ὡς ἴδοιμι βλαστὸν ἐχθίστου πατρός.]

V. 2—3. πυρσούς supplet Fritsch. Quo teste versu 2 exeunte ἐνθήσομαι,, versu 3 [ς δοκοῖς vel [ς φλέγει Snell proponit. Clarum est, supplementorum horum et ἐνθήσομαι et πυρσούς non consonare nisi cum priore; alterum sine dubio suspicione nititur, initio versus 3 supplendum esse dativum pluralis substantivi, cuius attributa sint ὑψηλοῖσι et ϑα-[λαμ]ηύχοις. Dubitationem movet supplementum δοκοῖς: hoc enim substantivum non occurrit genere masculino nisi apud posterioris aetatis auctores (Luc. *V. H.* II 1; Ps.-Apollod. *Bibl.* I 9, 12); omnibus ceteris locis, ubi quidem definiri potest genus, femininum est.

V. 4—5. ἔνδον Fritschii est supplementum, ϑάνοιεν et ἐν δώμασιν Snellii. Quod autem ad OIΔE! (de quo iam supra tractatum est) attinet, versum illum restituebat Körte: εἰσὶ]ν δὲ παῖδες, οἶδεν, [ἀ]μφιμή[τορες; maxime tamen dubium videtur οἶδεν parenthetice usurpatum. Sed etiam οἵδε γ' displicet: vix enim inveniri possit ratio, qua particula γέ probetur[9]. Recte Fritsch: *Das parenthetische οἶδεν ist ungewiss; γ' passt auch nicht recht.*

Iam de voce ἄρδην dicendum est, adverbium hoc (etiam ἀέρδην, Aesch. *Agam.* 234) in omnibus quae aetatem tulerunt Aeschyli et Sophoclis fabulis fragmentisque non prodire nisi sensu proprio, sensu autem metaphorico („penitus", „funditus") inter poetas tragicos apud solum Euripidem legi (*Hec.* 887, *Ion.* 1274, *Phoen.* 1146. 1620). Unde, ut per se intellegitur, colligere certe non licet, fieri non posse ut id ab Aeschylo fragmento de quo agitur eodem sensu usurpatum sit; sed etiam si ita sit, non videtur mihi locutio ϑάνοιεν ἄρδην („penitus, funditus moriantur") probari posse[10].

Adiectivum καύσιμος, Snellii supplemento ἐν δώμασιν recepto, idem hoc loco dicere debeat atque „ardens", „flagrans". Sed usque adhuc non est illud cognitum nisi sensu (in adiectivis in -σιμος desinentibus usitatissimo) „igni concipiendo apti", „ad comburendum idonei"[11].

---

[8] Errore impressum ϑανοῖεν.

[9] οἵδε γ' scribit Mette, quem sequitur Untersteiner.

[10] V. 1620 Euripidis *Phoenissarum* τί μ' ἄρδην ὧδ' ἀποκτείνεις, Κρέον; in loci contextu nullam similitudinem praebet.

[11] καυσίμη ὕλη Plat. *Leg.* VIII 849 d, Strab. XVI 4, 19; καύσιμα ξύλα Alex. fr. 307 K., Polluc. VI 91. VII 109. X 110; ἔκαιον πάντα ὅσα καύσιμα ἑώρων Xen. *Anab.* VI 3, 19; τούτοις καυσίμοις χρῶνται Theophr. *H. P.* IV 3,2.

Molossi. The prophecy of Delphi to the people of Athens, in which *Pythia* advises them to wait thirty years for a guerre de revanche, came true in 458 B. C., when Aegina was humbled and her navy destroyed. The old poet remembers it and writes the glorious sentence: ἐπάμεροι· τί δέ τις; τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος. In the Epinicus *Pyth.* VIII we seem also read to vague and veiled hints to a possible future recovery of Aeginetan freedom in the peace-treaty in 445 B. C.

In the analysed verses of the eight Pythian epinicus, there is a precious piece of Pindar's autobiography, his creative psychology and a document of religious feeling and social ideal of a great both poet and Greek in the times of the Persian Wars, in whose thought the Gods and the mythus are reality as the extant peoples and the present actions of the world, where eternal and unchangeable moral regulation — ΔΙΚΑ — reigns.

Prague, February 1950

Quamquam concedendum est, non sequi inde necessario, fieri non posse ut etiam alia significatione hoc loco positum sit: accidit enim interdum in sermone tragico ut huiusmodi adiectiva notam suam propriam amittant, velut ex. gr. apud Aeschylum ἁλώσιμος (*Sept.* 635 ἁλώσιμον παιᾶνα, *Agam.* 10 ἁλώσιμόν τε βάξιν)[12].

V. 6—[7]. Supplet Latte. Λοπᾶν idem est ac „putamen perdere", „putamine nudari"[13]. Theophrastus vocabulo hoc utitur, cum arbores describit, quarum cortex tempore verno per se solvitur (*H. P.* III 5, 1. V 1,1 etc.). Apud Hesychium glossam legimus: λοπῶντα·[14] λεπιζόμενον ἢ λοπιζόμενον; quae cum omni ex parte cum fragmento papyraceo congruit, veri simile videtur, eam ab huius *Heraclidarum* loci interpretatione originem ducere[15].

Textum a Lattio restitutum his verbis vertit Fritsch: *Dass ich durch dieses Mittels Kraft zerstört sehe den Stamm des Vaters*; idemque Lattii interpretationem affert per litteras secum communicatam: *Das Bild ist: der Stamm schält sich im Feuer ab, weil die Rinde Risse bekommt und abplatzt.*

Negare non licet, vocem φάρμακον saepe simpliciter „instrumentum", „adiumentum", „auxilium" significare; sed potius „auxilium contra aliquid", „medicamentum alicuius rei", quae res casu genetivo ponitur: velut Aesch. *Agam.* 548 πάλαι τὸ σιγᾶν φάρμακον βλάβης ἔχω„ Eur. *Heracl.* 595 sq. τὸ γὰρ θανεῖν | κακῶν μέγιστον φάρμακον νομίζεται. At ignem ut delendi instrumentum simpliciter φάρμακον dici posse veri simile non videtur. Quod autem versus 6 initio a Lattio suppletur ῥαγέν]τα, neque hoc placere possit, cum praesentis potius participium cum voce λοπῶντα congruenter positum hic requiri videatur.

Iam quae supra de singulis in textu restituendo adnotata sunt, postea nobis usui erunt; nunc id praesertim tenendum est, quod restitutionem illam in universum dicere vidimus: fragmentum Fayûmense — Snellii, Lattii, Fritschii sententia, qui communem de Aeschyli *Heraclidarum* argumento opinionem sequuntur — partem esse scaenae, in qua

---

[12] Cf. πτώσιμος (Aesch. *Agam.* 639. 1122), θανάσιμος (non solum apud tragicos), λεύσιμος (quod sensu in huiusmodi adiectivis usitato non prodit nisi semel, Aesch. *Agam.* 1118).

[13] Cf. λοπός, λέπος, λέπω, λέμμα etc.

[14] λοπόντα cod., corr. Musurus.

[15] Monendum est tamen, in lexicographorum lemmatibus nonnunquam casu accusativo etiam eas voces poni, quae in auctoris textu allato alio casu legantur; ex. gr. Phot. Berol. 142,3 (idem: Suidas qui vocatur et Bekk. *Anecd.* I 406,1): ἀνόδοντον· Φερεκράτης Κοριαννοῖ· ἀνὴρ γέρων ἀνόδοντος ἀλήθει.

Eurystheus se domum, ubi Herculis liberi commorentur, incensurum esse minetur.

II

Dixi supra (p. 43) communem illam opinionem non sine exceptionibus esse: excipiuntur enim Thaddaeus Zieliński, qui iam anno 1922 aliter rem se habere demonstravit, eique qui illius sententiam secuti sunt.

Zielińskii dissertatio in commentariis qu. inscr. Eos vol. XXV edita est cum indice: *De Hercule tragico deque Heraclidarum tetralogia Aeschylea*[16]. Ibi ostenditur, Aeschylum idem argumentum tractavisse ac Sophoclem in *Trachiniis*, i. e. fabulam de veste mortifera a Deianira missa deque Herculis morte in monte Oeta.

Hoc ut demonstret Zieliński duos *Trachiniarum* indicat locos inter eos numerandos, quos „rudimentales" appellavit: v. 54 sqq. et v. 1147 sqq. Quorum priore Nutrix, cum Deianiram monet ut aliquem mittat, qui de Hercule absente quaerat, haec dicit:

πῶς παισὶ μὲν τοσοῖσδε πληθύεις, ἀτὰρ
ἀνδρὸς κατὰ ζήτησιν οὐ πέμπεις τινά,
μάλιστα δ' ὅνπερ εἰκὸς Ὕλλον...

Ex toto tamen dramate certo sequitur, omnium Herculis Deianiraeque liberorum solum Hyllum Trachine commorari. Altero loco Hercules moribundus Hyllum alloquitur:

κάλει τὸ πᾶν μοι σπέρμα σῶν ὁμαιμόνων,
κάλει δὲ τὴν τάλαιναν Ἀλκμήνην, Διὸς
μάτην ἄκοιτιν...

Ad quod respondetur ei, id fieri non posse, Alcmenam enim Tirynthe esse, Heraclidarum autem alteram partem cum avia, alteram Thebis. Priore loco „loci originarii inconsciam traductionem" habemus, altero — „propositionem repudiatam", eius speciem locorum rudimentalium generis, quod a Zielińskio „irritum consilium" appellatur. Ex ambobus colligit ille, apud poetam tragicum, qui ante Sophoclem idem argumentum tractaverit, Heraclidas patris morti interfuisse, fabulae igitur eius chorum constitisse ex Heraclidis.

Talem fabulam revera exstitisse Dionis Chrysostomi locus probat 78,44: τὸν γοῦν Ἡρακλέα φασίν, ἐπειδὴ οὐκ ἐδύνατο ἰάσασθαι τὸ σῶμα ὑπὸ νόσου δεινῆς κατεχόμενον, τοὺς υἱοὺς καλέσαι πρώτους κελεύοντα

[16] Cf. etiam eiusdem *Tragodumenon libri tres*, Cracoviae 1925, p. 90 sq. — Fragmentum Fayûmense Zielinskio ignotum mansisse apparet.

ὑποπρῆσαι λαμπροτάτῳ πυρί, τῶν δὲ ὀκνούντων καὶ ἀποστρεφομένων λοιδορεῖν αὐτούς ὡς μαλακούς τε καὶ ἀναξίους αὐτοῦ καὶ τῇ μητρὶ μᾶλλον ἐοικότας, λέγοντα, ὡς ὁ ποιητής φησι·[17]

ποῖ μεταστρέφεσθ', ὦ κακοὶ
κἀνάξιοι[18] τῆς ἐμῆς σπορᾶς,
Αἰτωλίδος ἀγάλματα μητρός;

Dionis fragmentum, utpote sine auctoris nomine allatum, Nauck inter adespota collocavit (fr. 126 N²). Zieliński monet, Dionem alias tragicorum non afferre nisi tres celeberrimos, itaque veri simile non esse, hoc loco minorum cuiusdam verba legi, Spinthari ex. gr., cuius fabula Ἡρακλῆς περικαιόμενος a „Suida" nominatur. Cum autem neque audiamus neque suspicari nobis liceat, argumentum illud ab Euripide tractatum esse, Sophoclis autem fabula praesto sit nobis, restat ut concludamus, versus a Dione laudatos ex Aeschyli *Heraclidis* esse[19]; quae conclusio cum ea conspirat, quae ex *Trachiniarum* locis rudimentalibus sequebatur.

Videtur mihi, inde a Zielińskii dissertatione pro re probata haberi posse, argumentum Aeschyli *Heraclidarum* Sophoclis *Trachiniarum* argumento simile fuisse. Quocum bene congruit etiam fragmentorum iam pridem nobis notorum unum, 75 N² (=58 Mette):

οὐ γάρ τι μεῖζον ἄλλο τοῦδε πείσομαι.

Verba haec haud inepte sonent in ore Herculis doloribus excruciati mortemque sibi parantis.

Iam ex facto a se cognito Zieliński etiam ulteriora quaedam colligit, quibus in fabula Aeschylea singula illustrantur.

Primum, in *Heraclidis* — aliter illud quidem atque in *Trachiniis* — ipsam Herculis mortem repraesentatam esse. Rogum recte conicit in eodem exstructum esse suggestu, in quo etiam Promethei scopulus et Argivorum Thebanorumque κοινοβωμία posita essent[20].

---

[17] Ex voce πρώτους sequitur, filios iussum patris efficere non esse ausos rogumque incendisse Philoctetem (vel fortasse patrem eius Poeantem — cf. Ps.-Apollod. *Bibl.* II 7, 7, 11 sq.; Tzetz. ad Lycophr. 50); hoc per se „admodum probabile" videbatur etiam Zielińskio (*l. c.*, p. 68), qui tamen Dionis verba idem dicere non animadvertit. — Verba λαμπροτάτῳ πυρί Aeschylea esse videntur (de numeris cf. infra adn. 19).

[18] καὶ ἀνάξιοι codd.

[19] M. Untersteiner, in libro supra (adn. 3) nominato, p. 18,1, recte monet, vocem ἄγαλμα simili modo usurpatam esse in *Agamemnone* (v. 207: τέκνον... δόμων ἄγαλμα). Numeri docent, scaenam, ex qua desumptum est fragmentum, κομμοῦ speciem habuisse.

[20] Etiam aedificium quod est in *Persis* et Agamemnonis bustum. — Notissimum est, quam variae exstent doctorum de scaena Attica V saeculi opiniones. Qua de re

Oetaea. At versus Aeschylei, ita, ut illi voluerunt Untersteinerque probat, si supplentur, expressis verbis de liberis (vel filiis) alicuius loquuntur in aedibus incensis igni perimendis! Ergo quaeritur, quonam modo ex difficultate hac Untersteiner evadat?

Fragmento Fayûmensi de Hercule agi arbitratur furente suos ipsius liberos interfecturo. Versus servatos aut Herculem ipsum dicere aut aliquem verba eius afferentem. Quam sententiam ut comprobet, nullum nos habere monet vestigium memoriae Eurysthei Heraclidas igni necare parantis, ex contrario autem scire, Herculem hoc modo liberos suos necasse fabulatos esse antiquos (Pherecyd. in schol. Pind. *Isthm.* IV 104; Ps.-Apollod. *Bibl.* II 4, 12,1; Assteae vasculum, Monum. dell'Istit. VIII 10)[23].

Vidimus supra, inter supplementa a Fritschio eisque, qui illum secuti sunt, recepta esse quae aliquam dubitationem moveant. Quibus, si non de Eurystheo, sed de Hercule eiusque liberum parricidio agi censuerimus, nova addetur difficultas: nam ubicumque de liberis ab Hercule necatis traditur, non legimus nisi de prole ex Megara procreata; at in fragmento Fayûmensi παῖδες ἀμφιμήτορες commemorantur[24].

Sed quod gravissimum est — nemo facere potest quin quaerat, quomodo una fabula duo tam diversa atque in se ipsis posita argumenta capere potuerit, ut sunt liberum parricidium et res Trachine gestae? Utramque rem in actione fabulae repraesentatam esse, id neque Untersteiner credit; itaque suspicatur, de liberum parricidio narratum esse solum in fabulae parte priore, ut de re ante acta (p. 68). Sed quanam ratione factum hoc cum rebus Trachine gestis conecti potuerit? Non potuisse clarum est, etiam si re vera fuerit memoria, quae ambo Herculis matrimonia — cum Megara et cum Deianira — comprehenderet, quod Untersteiner (p. 21 sq.) ex Hygini fabula 31 et Senecae *Hercule Oetaeo* (v. 1452 sq., 428 sqq.) efficere conatur. Nec mirum, non contingere illi vinculum aliquod invenire, quo duo argumenta inter se iuncta sint, quamquam enitatur et laboret ut — Diodori IV 10,6 — 11,2 interpretatione, satis illa quidem dubia, innixus — tragicam fortunae conditionem effingat, qua Hercules teneatur cogaturque ut iterum atque iterum in ὕβριν incidat (p. 64—86).

---

[23] Quod in Euripidis *Hercule furente* loci rudimentalis nomine remansit: ibi enim (v. 240 sqq.) Lycus se Herculis liberos igni necaturum esse minatur, cuius tamen rei in sequentibus iam nullam mentionem poeta facit (cf. Wilamowitz, *Euripides' Herakles*, p. 85; Untersteiner, *op. c.* p. 25).

[24] Difficultatem hanc nequaquam tollunt quae ab Untersteinero p. 29, 1 adnotantur.

Deinde, Herculis morti non solum filios eius, ex quibus chorus constaret, sed etiam Alcmenam interfuisse, quod ex *Trachiniarum* versibus 1147 sqq. supra allatis sequi videri Alcmenaeque in Senecae *Hercule Oetaeo* persona comprobari.

Tum ex Dionis fragmento elucere, Herculem usque ad ipsam mortem Deianirae infestum esse; unde sequi, eum apud Aeschylum non errasse, cum uxorem consulto, ultionis causa vestem veneno imbutam sibi misisse crederet, non potuisse igitur, ut fit apud Sophoclem, ante ipsam mortem verum cognoscere. Deianiram ergo — ut recte concludit Zieliński — quae non iniuriam ulcisci, sed, a Nesso fraude decepta, amorem Herculis recuperare voluerit, a Sophocle inventam esse; Aeschylum hac in re traditionem epicam non mutasse, secundum quam Deianira perfido marito interitum horribilem machinata sit[21].

III

Zielińskii de *Heraclidarum* argumento sententiam non sunt, quod sciam, adhuc secuti doctorum nisi duo: M. Untersteiner, in libro supra (adn. 3) nominato, et F. Stoessl, in libro qu. inscr. *Der Tod des Herakles* (Zürich 1945, p. 37 et 56 sq.)[22]. Horum posterior fragmenti Fayûmensis ne meminit quidem; at prior multam illi operam dat. Idem typis exprimit illud (p. 15), ut iam supra dictum est, secundum Mettii editionem, i. e. cum Körtii, Snellii, Lattii, Fritschii supplementis, sed sine versu 7 a Lattio addito.

Non licet tamen ei, ut per se patet, fragmentum papyraceum ita, ut illis placuit, interpretari, siquidem in *Heraclidarum* argumento restituendo Zielińskio adstipulatur: nam Eurystheo Herculis liberorum persecutori nihil, ut nemo non videt, commune esse potest cum tragoedia

---

cum quaerendo hic locus non sit, sufficit ut moneam, Zielińskii opinionem Wilamowitzii niti sententia primum ab eo exposita in dissertatione quae inscribitur *Die Bühne des Aischylos* (Hermes XXI 1886). Quae hic et alias de quaestione hac Wilamowitz docuit (in summa, nam singula in controversiam vocari possunt) quaeque, re diligentius examinata uberiusque tractata, sententiae eius addidit Frickenhaus in libro *Altgriechische Bühne*, etiam mea opinione scaenae Atticae historiam tractandi fundamentum esse debent.

[21] Duae papyri — Berolinensis 9777 (Berl. Klassikertexte V 1,22=Hesiod. fr. 135 Rzach) et Oxyrhynchia XVII 2075 — duo attulerunt nobis unius *Catalogorum* Hesiodeorum loci fragmenta, quorum alterum altero suppletur; ubi Deianira Herculi vestem mortiferam veneno (φάρμακο[ν) imbutam misisse nulla explicatione addita dicitur.

[22] Alii Zielińskii dissertationis et *Tragodumenon* locorum, ubi quaestio eadem tractatur, nullam omnino mentionem faciunt; nemo igitur, quod sciam, argumenta eius refellere conatus est.

Sed vinculum illud ut quaereremus tum solum cogeremur, si fragmentum Fayûmense, ita lectum, ut servatum est, diserte testaretur, in fabula Aeschylea Heraclidarum igni necandorum mentionem factam esse; id tamen nequaquam dici potest: nam sententia haec verbis servatis non subest nisi ita suppletis, ut Snellio, Lattio, Fritschio visum est. Horum vero supplementa ex falso de fabulae argumento iudicio nata sunt. Quod falsum iudicium reiecit Untersteiner, Zielińskium secutus; nihilominus tamen textum ita formatum recepit, ut placuerat illis. Itaque in ἀπορίαν incidit, unde exeundi nulla patet via: nam procul dubio nullo modo fieri potest ut fragmenti papyracei quae adhuc valebat interpretatio cum *Heraclidarum* argumento a Zielińskio illustrato consonet.

IV

Iam si, *Heraclidarum* argumenti, de quo recte iudicare a Zielińskio didicimus, memores, fragmentum Fayûmense, nullis illud quidem doctorum supplementis auctum, consideraverimus, necesse erit ut primum oculos nostros in se convertat vox φάρμακον, quae versu 6 legitur; haec autem impellet nos ut de veneno cogitemus, quo imbutam vestem Herculi misit Deianira. Estne igitur Herculis ῥήσεως fragmentum ad actionis partem a Dione descriptam pertinentis?

Hanc contra suspicionem unum sane afferri possit argumentum: fragmento a Dione laudato Herculem filios Αἰτωλίδος ἀγάλματα μητρός vocare, fragmento autem papyraceo verba legi παῖδες [ἀ]μφιμή[τορες. Negare non licet, aliquam hic difficultatem inesse; huiusmodi tamen difficultas tum solum non surgit, cum fragmentum papyraceum cum Snellio, Lattio, Fritschio interpretamur, quod, ut vidimus, nequaquam probari potest[25]. Itaque si in fragmento nihil praeterea interpretationi a nobis propositae adversari apparuerit, difficultatem illam accipere cogemur suspicarique, Herculem a singulis deinceps chori partibus (duobus fortasse hemichoriis) poscere ut rogum incendant.

Iam ergo ad fragmentum Faiûmense illustrandum supplendumque accedamus; quod ab extremo ad primum versum procedentes nos facere commodissimum erit.

Versu 6 Lattii supplementum [μένει veri simillimum videtur. Quod eodem legitur versu λοπῶντα de ipso Hercule dictum esse debet, siquidem vox φάρμακον venenum significat ei a Deianira missum; atque hoc

---

[25] Etiam si Untersteineri probetur interpretatio, eadem se — ut supra (p. 48 sq.) monui — difficultas opponat, quamquam non in amborum inter se fragmentorum, sed fragmenti papyracei et testimoniorum aliunde notorum contradictione posita.

Hoc si ad exemplum adiectivorum velut αὐτοδίδακτος, αὐτόκλητος, αὐτόσσυτος, αὐτόκτιτος, similia intellegatur, rem significet quae „se ipsa fecit", „se ipsa exstruxit". Potest tamen etiam aliter intellegi, ad exemplum adiectivorum αὐτάγρετος (Hom. *Od.* XVI 148, *Hymn. Hom. Merc.* 474, Apoll. *Arg.* II 326. IV 231 sqq.) vel αὐτόγνωτος (Soph. *Ant.* 875); quod si ita sit, ad rogum pertinere videatur, quem Herculis filii „ipsi exstruere" debeant. Possit igitur versus dimidia pars prior supleri: πυρὰ]ν γὰρ αὐ̣τ̣ό̣τευκ[τον]; sed quomodo quae sequuntur quaeque ab editoribus ut certae notantur litterae η ν ε ν explicandae sint, quis dicat[27]?

Iam ad versus 5 finem restituendum revertamur. Trium quae supra (p. 51) indicatae sunt supplendi rationum primam si perpenderimus, statuere cogemur, praedicatum enuntiati principalis, cuius subiectum est παῖδες, quominus hic restituatur rationes metricas impedire, tertiam enim numeri pluralis personam et futuri et imperativi paenultimam longam (natura vel positione) habere. Secundam et tertiam si examinaverimus, apparebit, paenultimae quantitatem non permittere nobis electionem nisi participiorum medii participiique perfecti activi; quorum posterius propter reduplicationem in censum non venire. Quae cum ita sint, veri minime similis fit coniectura, hoc loco participium desiderari.

Non restat igitur nisi unum: ut scilicet suspicemur, litteris servatis ε ν δ enuntiati principalis praedicatum incipere, persona secunda pluralis imperativi vel indicativi futuri positum. Sed suspicioni huic minus favere videtur pronomen ὅδε, quod, de tertia vel prima persona cum agitur, usitatum, cum persona secunda non iungitur nisi rarissime (apud Aeschylum: *Agam.* 855 ἄνδρες πολῖται, πρέσβος Ἀργείων τόδε et 1393 sq. ὡς ὧδ' ἐχόντων, πρέσβος Ἀργείων τόδε | χαίροιτ' ἄν; *Eum.* 614 sq. λέξω πρὸς ὑμᾶς, τόνδ' Ἀθηναίας μέγαν | θεσμόν). Quomodo, ita quaestio si solvatur, versus 5 finis suppleri possit, non facile conicias. Ac supplementum, quod proponere possim, audacius est mihique ipsi non admodum probabile videtur. Liceat enim suspicari, Aeschylum, vocis propria significatione, ut saepe fit apud eum, audacter immutata, verbo ἐνδέμω (Theocr. 17,82: τρεῖς μὲν οἱ πολίων ἑκατοντάδες ἐνδέδμηνται; Nicandr. *Ther.* 419: κοῖτον δὲ βαθεῖ ἐνεδείματο θάμνῳ) usum esse: itaque suppleri possit ἐνδ[είματε.

---

[27] ην per se ἦν significare possit; sic tamen enuntiatum secundarium exsistat, quo finito enuntiati principalis, cuius obiectum sit πυράν, reliqua pars sequi debeat; id tamen fieri non potest, cum versibus sequentibus procul dubio enuntiatum habeamus cum obiecto ἐμέ, ut accusativi]τ̣α et λοπῶντ̣α̣ probant (cf. supra p. 51 sq.).

esse, legendumque: παῖδες οἵδε μ᾽ [ἀ]μφιμή[τορες. Valde doleo, tabulam phototypicam mihi praesto non esse, qua inspecta de spatio iudicare possim; cum tamen, ut supra dixi (p. 42), Körtio γ non visum sit nisi „non omni numero exclusum", veri autem similius ν, littera lata, etiam μ probabile videtur. Quod initio supplebatur ἔνδο]ν̣, ut per se intellegitur, manere non potest.

Utcumque de singulis iudicemus (quae res etiam infra tractabitur), pro certo statuere licet, fragmento papyraceo de Hercule agi in montem Oetam transportando. Quae cum ita sint, ἐν ὑψηλοῖσι versu 3 servatum ad substantivum aliquod locum in summo monte significans, ubi rogus exstruendus est, pertinere debet. Substantivum hoc videtur mihi τόποις esse in fine versus supplendum. Vox enim τόπος simili ratione usurpata, et quidem numero plurali plerumque, saepissime in oratione tragica redit (apud Aeschylum: *Suppl.* 50 ἐν ποιονόμοις | ματρὸς ἀρχαίας τόποις, 237 ἀφ᾽ Ἑλλάδος τόπων; *Pers.* 447 πρόσθε Σαλαμῖνος τόπων; *Prom.* 348 πρὸς ἑσπέρους τόπους; *Agam.* 191 ἐν Αὐλίδος τόποις; *Eum.* 292 χώρας ἐν τόποις Λιβυστικῆς, 703 Πέλοπος ἐν τόποις, 858 ἐν τόποισι τοῖς ἐμοῖσι, 941 μὴ περᾶν ὅρον τόπων, 1023 εἰς τοὺς ἔνερθε καὶ κατὰ χθονὸς τόπους); eandem haud raro, ut vel ex exemplis allatis elucet, loci comitatur nomen casu genetivo positum. Videtur ergo etiam hic ex voce τόποις genetivus pependisse Οἴτης, qui initio versus fortasse supplendus est; quamquam fieri potest ut mons ille iam prius nominatus sit versusque initium aliter sit formatum.

Eodem versu θα[λαμ]ο̣ύχοι[ς suppleri non potuisse patet nisi ab eis, qui fragmentum Fayûmense secundum vulgatam fabulae Aeschyleae argumenti explicationem interpretarentur; nunc ergo supplementum illud reiciendum est. Vocabulum mutilatum attributi munere fungi debuit, quo depingebantur „loca sublimia" in monte Oeta, ubi exstruendus est rogus; hic autem ut exstruatur ligno opus est, quod prope praesto esse debet. Quae cum ita sint, θα[μν]ο̣ύχοι[ς supplendum esse censuerim. Quod vocabulum, perinde ac θαλαμοῦχος nullo testimonio confirmatum, perinde atque illud probari potest. Sufficiatne supplementum quod pono ad lacunam explendam, non liceat iudicare nisi imagine phototypica examinata; videntur tamen μ et ν litterae, quarum utraque lata est, non minus loci occupare potuisse quam quae prius supplebantur λ α μ. Itaque — sed, ut supra dictum, ea condicione ut de initio dubitare liceat — versus 3 restitui possit:

Οἴτη]ς ἐν ὑψηλοῖσι θα[μν]ο̣ύχοι[ς τόποις.

Versu 2 adiectivum — recte, ut videtur, a Snellio restitutum — prodit testimonio adhuc non confirmatum αὐτότευκτος (cf. supra p. 42).

quidem optime intellegi potest: vestis veneno imbuta, corpori eius artissime applicata, (cf. Soph. *Trach.* 767 sqq., 1053), effecit ut cutis carnisque panni soluti penderent. Eodem modo Sophocles in *Trachiniis* (v. 1103) rem describit, ubi Hercules se κατερρακωμένον dicit, quod in scholiis recte explicatur verbis: τὰς σάρκας σαπεὶς καὶ ἔχων αὐτὰς κρεμαμένας ὡς ῥάκη (cf. ibid. v. 1053—57). Initio versus, ut iam supra (p. 45) dictum erat, veri simillimum est, participium praesentis lectum esse participio quod est λοπῶντα congruenter positum. Sed quonam verbo horribilem corporis Herculei statum poeta expresserit, id diiudicare difficile est; possit fortasse φλέγον]τα suppleri, hoc tamen non est nisi coniectura incerta.

De versu 5 iam supra monui (p. 44), apud Aeschylum et Sophoclem adverbium ἄρδην non prodire nisi sensu proprio. Atque eodem sensu ad locum hunc quadrare videtur: Herculem audire nobis videmur se in montem Oetam ἄρδην apportari iubentem, similiter ac de Alcestide mortua in fabula Euripidea dicitur v. 607 sq.: νέκυν μὲν ἤδη πάντ' ἔχοντα πρόσπολοι | φέρουσιν ἄρδην πρὸς τάφον τε καὶ πυράν (cf. etiam ἀέρδην Aesch. *Agam.* 231—34)[26]. Reminiscaris quaeso etiam eorum quae supra de adiectivo καύσιμος dicta sunt; καύσιμα ξύλα, quae ab Alexide Polluceque commemorantur, hoc loco aptissima videri possint: agatur enim de rogo lignis exstructo, quo ponendus sit Hercules (cf. Soph. *Trach.* 1193—97). Itaque supplendus sit versus 5:

ξύλοισι]ν ἄρδην καυσίμοις ἐνδ[

Haec tamen de versu 5 explicando supplendoque ratiocinatio non procedit bene nisi hactenus: nam de fine versus sententiam ferre difficillimum est. Hic quod olim lectum est esse possit: 1) enuntiati principalis praedicatum; 2) participium in enuntiato secundario contracto praedicati munere fungens; 3) participium accusativo singularis positum, participiis]τα et λοπῶντα conforme. Quorum secundum vel tertium si verum sit, praedicatum enuntiati principalis deperdito demum versu 7 olim lectum esse censendum sit. Verbum quod quaeritur idem atque „inferre", „imponere" dicere debeat. Sed quaestionem hanc ad tempus in medio relinquimus; ad quam tractandam infra revertemur.

Iam ad versum 4 transeamus. Quis „inferre" vel „imponere" debeat si quaeritur, non licet respondere nisi hoc: παῖδες οἵδε. Quis autem „inferendus" vel „imponendus" sit, ne id quidem dubitari potest. Itaque veri videtur mihi simillimum, litteram post οἵδε lectu difficilem μ

---

[26] Cf. ἐξάραντα Soph. *Trach.* 1193.

Initio versus sequentis, secundum editiones, in papyro legitur]ν̣̣δε. Si conicere liceat, litterae primae vestigium minus clarum esse, fierique posse ut etiam ι scriptum sit[28], ἐκε]ῖ δέ restituendum esse videatur.

Tres igitur quibus fragmentum clauditur versus ita legi possint:

ἐκε]ῖ δὲ παῖδες οἵδε μ᾽ [ἀ]μφιμή[τορες
ξύλοισι]ν ἄρδην καυσίμοις ἐνδ[είματε
φλέγον]τα καὶ λοπῶντα φαρμάκου [μένει.

Haec tamen restitutio, ut supra vidimus, propter difficultates, quae ex versus 5 fine supplendo nascuntur, habet quod dubitationem moveat. Itaque fieri potest ut rectius acturi simus, si aliam — verba, non totius loci sententiam, de qua dubitare non licet — restituendi ingrediamur viam.

In philologorum Thoruniensium consessu, ubi haec exponebam, aliter tractandum esse versum 5 censuit dr Sophia Abramowicz. Probata enim, quod per se fieri posse etiam ego concesseram (cf. supra p. 44 sq), vocum ἄρδην et καυσίμοις explicatione a prioribus papyri interpretibus proposita — ut scilicet illa sensu metaphorico usurpata sit, haec autem inusitato, ad exemplum Aeschylei illius ἁλώσιμος — in fine versus ἐνδ[ύμασιν supplebat (quod quidem supplementum etiam mihi prius in mentem venerat, sed cum vocibus ἄρδην et καυσίμοις ita, ut mihi placebat, intellegendis et ξύλοισι]ν initio versus supplendo adversaretur, reiciendum esse visum est). Itaque versus initio Herculis attributum quoddam, casu accusativo, accusativis]τα et λοπῶντα congruenter positum, periisse statuendum sit, enuntiati autem principalis praedicatum iam extra textum servatum cadere (cf. supra p. 51).

Quod si probemus, dubium illud supplementum ἐνδ[είματε omittatur neque opus sit praedicato persona secunda posito probando, quod haud dubie, cum παῖδες οἵδε servatum sit, per se minus veri simile videtur quam praedicatum tertia positum persona.

At quemnam, si de choro ut de tertia persona loquatur, alloqui possit Hercules ? Alcmenam nimirum, quam in extremis fabulae scaenis processisse maxima, ut iam vidimus (p. 47 sq.), cum probabilitate e Sophoclis *Trachiniarum* loco rudimentali collegit Zieliński.

---

[28] Etiam hic quaestionem in medio relinquere debeo, cum tabulam phototypicam conferre non possim. Eadem res iudicare me non sinit, utrum singulorum versuum incipientium supplementa proposita inter se quoad spatium congruant: nam ex textu typis expresso de extremis chartae abruptae lineamentis iudicium facere non licet.

Etiam versus initii supplementum, huic loci de quo agitur interpretationi conveniens, proponi possit: φλογιστό]ν dico (cf. Soph. *El.* 57 sq.: τοὐμὸν ὡς ἔρρει δέμας | φλογιστὸν ἤδη καὶ κατηνθρακωμένον)[29]. Quod si suppleamus, locum habeamus sublimitatis plenum maximeque ad animos commovendos accommodatum, qui ab artis Aeschyleae natura non abhorrere videatur: Hercules enim corpus suum comburi iubeat, quod iam praeterea „veste ardente combustum esse" dicat. Hoc supplemento probato, initio versus 6 φλέγον]τα, ut per se intellegitur, non iam probari possit.

Hac igitur ratione versu 5 restituto, totum fragmentum ita legendum esse videatur:

]λι[ ]ν καὶ [
ῡ –]ν γὰρ αὐτότευκ[τον] ηνεν [– υ ⏑
ῡ –]ς ἐν ὑψηλοῖσι θα[μν]ούχοι[ς τόποις.
ἐκε]ῖ δὲ παῖδες οἵδε μ' [ἀ]μφιμή[τορες
5 φλογιστὸ]ν ἄρδην καυσίμοις ἐνδ[ύμασιν,
ῡ –]τα καὶ λοπῶντα φαρμάκου [μένει
. . . . . .

2 fortasse πυρὰ]ν Srebrny, αὐτότευκ[τον] legit Snell 3 fortasse Οἴτη]ς Srebrny, θα[μν]ούχοι[ς τόποις idem 4 ἐκε[ῖ Srebrny, οἵδε μ' idem, [ἀ]μφιμή[τορες Körte 5 φλογιστὸ]ν Srebrny, ἐνδ[ύμασιν Abramowicz 6 [μένει Latte.

Utcumque textum in singulis restituamus, de re principali dubitare, mea quidem opinione, non licet: pro certo statuendum est, fragmentum Fayûmense Herculis ῥήσεως partem esse filiis praecipientis, ut se in montem Oetam deportent ibique rogo impositum comburant.

Iam si fragmentum papyraceum cum eo, quod a Dione affertur, composueris, apparebit hoc posterius actionis continere momentum: ibi enim rogus exstrui Herculesque in Oetam deportari iubetur, hic Her-

---

[29] Si hac in re Fritschii Mettiique transscriptionibus niti liceat supplemento huic (ceterum pariter atque ei, quod prius proponebam ξύλοισιν) adversetur Οἴτη]ς versus 3 initio suppletum: nam cum secundum transscriptiones illas quod primum versu 5 servatum est ν in eandem lineam directam cadat ac quod versu 3 primum legitur σ, de aequo utroque loco spatio cogitandum sit (cf. adnot. 27). Monui tamen iam supra (p. 52), vocem quidem ὑψηλοῖσι versu 3 servatam procul dubio Oetae loca sublimia spectare, sed necessarium non esse, eodem versu Oetam esse nominatam, cum etiam versibus praecedentibus, qui perierunt, id factum esse possit.

cules iam in rogo collocatus a filiis postulat ut eum incendant. Inde sequitur etiam, rem in utroque fragmento non eodem loco agi, sed in Dioneo in Oeta, in papyraceo autem Trachine. Itaque statuendum est, locum actione procedente mutari, quod apud Aeschylum haud raro accidere constat.

Dionis fragmentum supra (p. 47 et adnot. 19) cum tractaretur, dictum est etiam de ratione, qua scaena ab oratore descripta in theatro Attico repraesentata esse potuerat: rogum scilicet in suggestu ex orchestra surgente exstructum esse. Quem in suggestum (qui, ut e *Supplicibus* et *Prometheo* apparet, totum chorum capere poterat) aliquo temporis momento, quod inter scaenam in papyro servatam et illam quae a Dione describitur cadebat, Hercules apportabatur: ita in spectatorum conspectu actio in alium transferebatur locum, simili modo atque in medii aevi theatrique Shakespeariani scaena plures simul locos repraesentante, quam hodie appellatione Francogallica *simultanée* notare consuevimus cuique cum scaena Attica aetatis Aeschyleae multa sunt communia.

Veri perquam simile videtur, locorum (Trachinis scilicet et Oetae) diversitatem in *Heraclidis* eodem modo atque in *Choephoris* repraesentatam esse, ubi prior fabulae pars ad Agamemnonis tumulum agitur in suggestu exstructum, posterior autem ante aedes scaenicas, quae Atridarum domus personam gerunt. Hic aedes scaenicae Trachinis domum regiam repraesentasse videntur, suggestus — montem Oetam; actionis autem ex altero in alterum locum migratio etiam expressius quam in *Choephoris* notata esse, cum chorus actoresque ab aedibus in suggestum pompa sollemni (cuius viam orchestra — plus semel fortasse — circumeunda productam esse conicere liceat) [30] transirent.

Quod si ita fuerit, etiam de tempore *Heraclidarum* aliquid colligi possit: fabulam enim hanc iam in nova scaena actam esse statuendum sit, quae, ut iam Wilamowitz demonstraverat pluribusque argumentis comprobavit Frickenhaus (cf. supra adnot. 20), inter annum 467, quo acta est *Thebais* Aeschylea, et annum 458, quo *Orestiam* poeta docuit, inventa est.

Thorunii

---

[30] Cf. nonnullarum Aristophanis fabularum (*Avium*, *Thesmophoriazuson*, *Ranarum*) prologos hoc in genere insignes. Ea enim rem scaenicam tractandi ratio, ut plures simul loci repraesentarentur, altero saeculi V dimidio in tragoedia iam minus minusque usitata (inter fabulas quae aetatem tulerunt unicum exstat exemplum Sophoclis *Aiax*), in vetere comoedia Attica viget.

GRAECI QUA RATIONE INDOS DISCRIPSERINT

Scripsit
IOSEPHUS DZIECH

Indiae incolarum genera eorumque vivendi rationes, mores, instituta si quis accingatur iam inde antiquitus digerere per annos numero carentes solis circumscriptus Sanscritis, Pālicis, Prācritis documentis, haud sciam an primum omnium terminos rerum gestarum nulla inde compage cohaerentium perquam vehementer illic desiderare videatur. Namque Drāviḍae — quos quidem barbaros nuncupaverat Manu[1] — quando supervenerint indigenis ab origine colentibus Indiae plagas, nusquam germanissimis Indorum cernitur monumentis. Quid? quod adeo gravissimus ille superventus Ariorum ante annum utique 1000 a. Chr. n. convallem initio Pañjabicam, dein Gangetidem invadentium, obrutus Cimmeriis penes ipsos Indos mergeretur tenebris, ni tantisper interluceret sanequam cascis hymnis Rigvedicis quamvis tenuis memoria tantae Ariorum aggressionis, dum fuscus ille dasa[2] et ārya[3] candidus nimirum inter sese digladiarentur morosius discriminati secundum naturalem incolarum colorem, qui illic vocabulo varṇa peculiari deprehenditur: quo discriminandi ardore durante per annos termino carentes, caturvarṇya[4] antiquitus nuncupari coepta erat India, quasi in quattuor species castarum migratura ob naturalem incolarum colorem (=varṇa). Ceterum cum propter fatiscentem Indorum indolem deficiente historia[5] ad Graecos potissimum etiamnum confugiant auctores antiqui[6] et recentes[7] ancipiti fide laborantes, for-

---

[1] Manu 10, 44.

[2] = *a slave, servant in general*=Vaman Shivram Apte, *The Student's Sanskrit — Englisch Dictionary*, Bombay 1922, p. 250.

[3] = *noble, fine, high, excellent. Name of the Hindu and Iranian people, as distinguished from anarya, dasyu and dasa* = Apte, *l. l.* p. 86.

[4] = *the country of the four colours, is an ancient distinguishing epithet of India*= *Caste* (*Papers of Indian Reform*), Madras 1890, p. 1.

[5] S. Witkowski, *Historiografia grecka...* I, Kraków 1925, p. 1: *Zmysłu tego brak Indom...*

[6] Velut Plinius *Nat. hist.* 6,19 advocaturus Onesicritum, Nearchum, Megasthenem.

[7] Velut F. J. Monahan, dum Bengalicam illam pangit historiam (*The Early History of Bengal*, Oxford 1925) bilici elemento contexendam curat materiam congesticiam ad Indiam componendam, cum circumspectis germanis indiciis Indicis, quorum primas agit Arthaśastra, insuper 16 Graecos et 4 Romanos auctores advocaverit, ad fidem rerum Indicarum corroborandam, quos inter honorantur Graeci Indiam visitantes: Megasthenes, Daimachus, Dionysius.

sitan tantulum illinc lucubrandi emolumentum gliscere videatur, si primum omnium inquiram, quaenam primitiae fuerint Graecorum Indiam adumbrantium, deinceps quas potissimum rationes discribendi Graeci praetulerint, tum utrumne paulum oppido an maximo opere Graeca discriptio a Brahmanica differat, postremo quanta consilia ac proposita Graecis Indos discripturis arridere videantur: unde haec mihi dumtaxat quadripertita impraesentiarum incohatur lucubratiuncula.

Argumentum ex silentio alto Graecorum Vedas ne uno quidem loco memorantium si respiciatur, restabit, ut inquiram, quando iam post aetatem Vedicam[8] India a Graecis concelebrari coepta sit. Ita hic et Scylax Caryandensis, qui forsitan primus Graecorum circiter annum 500 a. Chr. n. auditis in India visa appinxerit[9], et alii Graeci non nisi audita extra Indiam relatave referentes[10] memorandi esse videntur, quorum primus omnium Herodotus vigeret tantae memoriae auctor incorruptus, si modo nominatim Indos discripsisset loco illo praesigni, ubi Indorum montana colentium mirificam celebraverat abstinentiam[11] in omni victu atque vitae cultu adeo praelucentem, quae vel ad probatam illam Brahmanum continentiam in victu, vestitu, cultu mirum quantum accedere videatur. Sed cum Brahmanes neque illic neque alias umquam a Herodoto nominatim discripti nuncupentur, haud sciam an ex tanto Herodoti silentio in cassum ullae discribendi rationes eliciantur. Accedit, quod Herodotus omnes Indos ad colorem Aethiopibus consimilem revocare nititur[12], cum color ille fuscus castae Brahmanum ab Ariis oriundae alienissimus fuisse videatur. Itaque initis subductisque rationibus, pertinentibus ad primitias Graecorum studia Indica incohantium, concludere ausim nondum adeo discolorem, verum potius plane concolorem Indorum effigiem illic ita deprehendi, ut illa versicolor India caturvarṇya — utpote in quattuor castas morosius discriminata secundum naturalem incolarum colorem — vix illic usquam interlucescere videatur.

---

[8] Aetatem Vedicam ultra citraque annum 1000 a. Chr. n. porrectam extendi docuit A. Gawroński, *Podręcznik sanskrytu*, Kraków 1932, p. 1.

[9] Cf. Witkowski, *l. l.* III p. 345.

[10] Velut Hecataeus Milesius, Herodotus, Ctesias.

[11] Herod. *Hist.* 3, 100: Οὔτε κτείνουσι οὐδὲν ἔμψυχον, οὔτε τι σπείρουσι, οὔτε οἰκίας νομίζουσι ἐκτῆσθαι ποιηφαγέουσί τε.

[12] Herod. 3, 101:... καὶ τὸ χρῶμα φορέουσι ὅμοιον πάντες καὶ παραπλήσιον Αἰθίοψι.

Ceterum ne contermina quidem illa propago Graecorum, Indiam Alexandri Magni tempestate visitantium[13], acu enucleata appingebat argumenta, quae ad amussim exacta quadrarent toto ordine omnique numero in rationes Brahmanicas Indiae in quattuor castas discriptae, quae quidem adhuc totius orbis consono ore declamatur. Quid? quod celeberrimae illae quattuor castae — brāhmaṇa[14], kṣatriya[15], vāiśya[16], śūdra[17] — secundum mirifica Brahmanum commenta divinitus[18] constitutae atque discriminatae[19], ne uno quidem loco a Graecis receptae umquam memorantur, nedum a Megasthene, qui circiter annum 300 a. Chr. n. a Seleuco Nicatore rege legatus[20] in Bihāram septemtrionalem vergentem ad occidentem aliquamdiu morabatur in urbe Paṭaliputra[21], quam tunc iam circumsonaret disciplina Buddhaica minus amica tantae Brahmanum licentiae. Iam quidem Megasthenes circumspectis illic Indorum singulis agendi studiis, quae ipse et viderat et audierat, vix gravatus esse videtur septemfariam[22] discribere Indiae incolas secundum ipsorum negotia atque professiones. Ita si in contentionem et comparationem vocentur quattuor Indorum castae —

---

[13] Quibus annumerantur Callisthenes, Chares, Ptolemaeus I, Aristobulus, Onesicritus, Nearchus, Androsthenes, quibus mox successerunt: Megasthenes, Daimachus, Dionysius.

[14] =... „*teolog*", *także* „*kapłan*"...= Gawroński, *l. l.* p. 190 ~ Apte, *l. l.* p. 396:... *a priest, theologian...*

[15] =... „*szlachcic, rycerz*" = Gawroński, *l. l.* p. 190; Apte, *l. l.* p. 170: *A member of the military or second caste...*

[16] =... „*człowiek z ludu*", *rolnik, kupiec, rzemieślnik*" = Gawroński, *l. l.* p. 190; Apte, *l. l.* p. 536: *A man of the third tribe, his business being trade and agriculture...*

[17] =... *śudrów... warstwy najniższej, etnicznie różnej* = Gawroński, *l. l.* p. 190; Apte, *l. l.* p. 560: *A man of the fourth or the last of the four principal tribes of the Hindus...*

[18] *Caste*, p. 4: *The common belief among the Hindus is that the Brahmans proceeded from the mouth of Brahma; the Kshatriyas from his arms; the Vaiśyas from his thigs; and the Śudras from his feet.*

[19] E. Jarra, *Historia filozofii prawa*, Warszawa 1923, § 7 (Hindostan): ...*podział bowiem ludzi na kategorie ma tutaj początek nadprzyrodzony...*

[20] Ad Indorum regem, qui Candragupta — Graece Σανδράκοττος — vocabatur.

[21] = Graece Παλίμβοθρα (=Arriani *Ind.* 10,5), quae urbs nunc Patna nominatur sita in Bihara septemtrionali, ad occidentem vergenti.

[22] Cf. e. g. Arriani *Ind.* 11,1—12,6 ubi secundum Megasthenem percensentur discripta illa septem genera Indorum: σοφισταί — γεωργοί — οἱ νομέες, οἱ ποιμένες τε καὶ βουκόλοι — τὸ δημιουργικόν τε καὶ καπηλικὸν γένος — οἱ πολεμισταί — οἱ ἐπίσκοποι — οἱ ὑπὲρ τῶν κοινῶν βουλευόμενοι ὁμοῦ τῷ βασιλεῖ.

brähmaṇa, kṣatriya, vāiśya, śūdra — quas quidem Manu nimirum divinitus discriminaverat[23], cum septem generibus Indorum discriptis a Megasthene, haud sciam an tanta inde gliscat rerum differentia, ut ilicet cernatur Megasthenem in tanto quidem discribendi cardine nequaquam insistere Brahmanum vestigiis longe alio spectantibus. Ceterum ne in Buddhaicam quidem disciplinam quadrare autumaverim illa Megasthenis consilia et proposita septemfariam Indos discribentia. Namque Buddha — ut fert Vinayapiṭaka 9, 1, 4 — solito lubentius contionabundus coram alumnis degentibus vitam solitariam in egestate, subducta dumtaxat quattuor castarum ratione, mirum quantum frui videtur cumulata illa insigni contentione, ubi quattuor castarum participes illic Pālice nuncupati — khattiya, brāhmaṇa, vessa, sudda — actutum Himālayam[24] petere gestientes ilico se sua quisque casta abdicent, ceu amnes illi primores: gaṅgā, yamunā, aciravatī, sarabhū, mahī, qui cum mari oceano miscentur, iam iamque nominatim evanescumt. Iam si vel ipse samaṇa Gotama[25] — ut praeclare testatur Assalāyana Sutta — non nisi quattuor castas respiciebat, quas adeo ipse, dum Bodhisatta[26] quingenties quinquagies renasceretur, tantisper passus foret, vix fere talia Megastheni profuissent ad septem[27] genera Indorum constituenda, quae insuper toto quidem ordine supputandi disconvenirent. Namque Buddha quattuor castas infirmaturus ita notabat, uti non castas ipsas pessum dare, verum potius morosiores castarum distinctiones ac discriminandi rationes adaequando tollere equis virisque conaretur, non nisi saluti petendae intentissimus: quae cum ita esse videantur, quisnam demirabitur, cur ita Buddha contionabundus — ut fert Vinayapiṭaka 9, 1, 4 — vix simili atque Brahmanes ratione nitatur praelata illa contentione, ubi quattuor castas Pālice nuncupatas — khattiya, brāhmaṇa, vessa, sudda cum maxime ob ordinem discribendi videlicet sublato Brahmanum principatu a discriptione Brahmanica — brāhmaṇa, kṣatriya, vāiśya, śūdra — haud parum differre contenderim. Quae conamina Buddhaica, ad infringendum Brahmanum principatum spectantia, cum Megasthenes adeo silentio transmiserit, ut usque quaque Brahmanibus indubium principatum concesserit, concludere ausim ne Buddhaicas quidem ratiocinationes in Pālicis Sanscri-

---

[23] Manu 10,4.

[24] Ubi degant vitam solitariam meditabundi in egestate.

[25] = Buddha.

[26] = Bodhisattva vocatus Sanscritice: cf. e. g. Gawroński, *l. l.* p. 193.

[27] Arriani *Ind.* 11,1: Νενέμηνται δὲ οἱ πάντες Ἰνδοὶ ἐς ἑπτὰ μάλιστα γένεα. Cf. insuper Diod. *Bibl.* 2,40,1; Strab. *Geogr.* 15,1,39.

tisve litteris delitescentes Megasthenem in discribendis septem Indorum generibus amplexum esse, quippe qui de tanta castarum indifferentia Buddhaica, de qua ille samaṇa Kaccāna cum rege Madhura Avantiputta sublimiter dissertarat[28], ne uno quidem vocabulo usquam mentionem fecerit.

Ceterum cum Graeci neque Brahmanicas, neque Jainicas, neque Buddhaicas rationes in discribendis septem Indorum generibus aemulari studuerint, porro sane contermina proponetur quaestio, quatenus etiam in nuncupandis illis septem generibus Indorum Graeci aliquando plane conivere videantur praelaturi vocabula non semper quadrantia in nominandas Indorum castas, quae trinis potissimum nominibus — jāti[29], varṇa[30] (=vaṇṇa Pālice) kula[31] — rite vocabantur. Quorum vocabulorum appellandis castis (=jāti) longe iunctissimum apud Graecos deprehenditur γένος, quod quidem vocabulum Arrianus certe Megastheni morigeratus passim mordicus tenuerat ad nominanda septem genera Indorum[32]. Quae tamen nominandi ratio castis exprimendis solito faustior ob quadraturam ad amussim tantae rei notionem vix vixque duratura servatur, cum Graeci alii aliis vocabulis illa septem genera Indorum significasse videantur[33], unde conici queat notionem vocabuli γένος=jāti solito faustiorem eandemque ad castas exprimendas in unguem quadraturam Graecis nondum adeo fuisse perviam,

---

[28] Quod litterarum monumentum Palicum fertur inscriptum *Madhura Sutta*.

[29] = *birth.... race, family... a caste, tribe or class (of men)... (the primary castes of the Hindus are only four)...* = Apte, *l. l.* p. 219.

[30] = *a colour... a class of men, tribe caste (especially applied to the four principal castes...)* = Apte, *l. l.* p. 493.

[31] = *a race, family...* = Apte, *l. l.* p. 154.

[32] Arriani *Ind.* 11,1 sqq.: Νενέμηνται δὲ οἱ πάντες Ἰνδοὶ ἐς ἑπτὰ μάλιστα γένεα... τὸ δημιουργικόν τε καὶ καπηλικὸν γένος... Ἐν δὲ τούτῳ τῷ γένει... Πέμπτον δὲ γένος... Πλήθει μὲν ὀλίγον τὸ γένος... Γαμέειν δὲ ἐξ ἑτέρου γένεος... οὐ θέμις... οὐδὲ ἀμείβειν ἐξ ἑτέρου γένεος ἐς ἕτερον... Μοῦνόν σφισιν ἀνεῖται σοφιστὴν ἐκ παντὸς γένεος γίνεσθαι.

[33] Namque haec vocabula ad nominanda septem genera Indorum spectare videntur:

1. γένος: Cf. annotatiuncula 32; Diod. 2,41,5: ...οὐκ ἔξεστι δὲ γαμεῖν ἐξ ἄλλου γένους...
2. μέρος: Τὸ δὲ πᾶν πλῆθος τῶν Ἰνδῶν εἰς ἑπτὰ μέρη διήρηται... = Diod. 2,40,1. ~ Strab. *l. l.* 15,1,39: Φησὶ δὴ τὸ τῶν Ἰνδῶν πλῆθος εἰς ἑπτὰ μέρη διηρῆσθαι...
3. φῦλον:... τρίτον δ' ἐστὶ φῦλον τὸ τῶν βουκόλων καὶ ποιμένων... = Diod. 2,40,6.
4. σύστημα:... ὧν ἐστι τὸ μὲν πρῶτον σύστημα φιλοσόφων = Diod. 2,40,1.

uti sola instar omnium huc vergentium vocabulorum ad castas exprimendas ubivis adhibeatur. Iam et alterius vocabuli castarum notio, exprimendo incolarum colori (=varṇa[34]) iunctissima, a Graecis minus recoli videtur, cum in discribendis septem illis generibus Indiae incolarum vix ipsorum color naturalis, verum in primis singula negotia studiaque[35] percenseantur: unde etiam tertia illa castarum notio, quae — ut luce clarius testatur Vinayapiṭaka — appingitur vocabulo kula[36] — khattiyakulaṁ brāhmaṇakulaṁ vessakulaṁ suddakulam — silentio transmissa nusquam in litteris Graecorum deprehenditur. Quae tamen defectio manufesta vocabulorum, notiones castarum pessum datura, mea utique opinione maxima ex parte excusari queat: nam cum Graeci non illam quattuor castarum divisionem secundum naturalem incolarum colorem, verum dumtaxat septem generum Indorum discriptionem moliantur secundum singula incolarum negotia atque studia, vix iure quisquam Graecis succenseat impraesentiarum, eos mirifico consilio ac proposito protinus ablatos adeo novellis perfrui vocabulis in novandis castarum rationibus.

Iam illa septem genera Indorum, videlicet a Graecis discripta secundum agendi studia ac negotia partim manibus, partim ingenio exercenda, cum omnino nec numeris nec vocabulis quadrare videantur in quattuor castas Indorum ita discriminatas a Brahmanibus cum maxime ob naturalem incolarum colorem, tamen si percenseantur singula Indorum genera a Graecis septemfariam constituta, haud sciam an gliscente alias differentia ac repugnantia nihilo setius interdum aliqua saltem ex particula ad Brahmanicas, Jainicas, Buddhaicas species tandem aliquando quasi accedere videantur: unde quidem iam trifariam mihi discribitur haec tertia quadripertitae lucubratiunculae particula, ubi primum omnium castae Brahmanicae splendor perennis, quatenus a Graecis adeo repercussus memoretur, uti sit ferme captus Indorum, tum ordinis castae alterius tertiaeque inversio, postremo quartae castae Śūdrarum numero carentium defectio in litteris Graecorum deprehendi videntur.

Iam primum omnium in concelebrando quasi indubio Brahmanum castae principatu perennis ille vigebat concentus praeferendis Brahmanum primoribus praesignis, quippe qui a Graecis pariter atque

---

[34] Cf. annotatiuncula 30.

[35] Cf. cum maxime Arriani *Ind.* 11,1—12,9; Diod. 2,40—41; Strab. 15,1,39 sqq. Cf. insuper annotatiunculae 22 et 27.

[36] Cf. annotatiuncula 31.

ab Indis consono ore concelebrarentur[37]. Qui consensus manufestus fortasse latius pateret, si tandem aliquando contigisset Graecis Indos discripturis actutum rimari disciplinam Brahmanicam intra Sanscrita monumenta delitescentem. Quae cum ne primoribus quidem labellis Graecis praegustata esse videatur ex illis dulcissimis Sanscritis Pālicisve fontibus, unde numero carentia imis medullis imbibantur placita, interdum accidit, uti salvae ceteroquin Graecorum scriptiones aliunde manantes a germanissimis Brahmanum rationibus — nimirum deficiente penetrandi instrumento lingua Sanscrita oriundo — mirum quantum declinent. Namque Arrianus, Brahmanum sapientiam alias adumbraturus[38], ne semel quidem illic[39] proprio nomine Brahmanas nuncupavit, lubentius praelaturus vocabula oriunda ab ipsorum sapientia, unde Brahmanes plerumque sapientes[40] a Graecis nominentur. Itaque casta Brahmanica utique princeps honoranda inter illas tres castas primores dupliciter genitas[41] (=brāhmaṇa — kṣatriya — vāiśya) salvo ceteroquin tanto principatu ne semel quidem proprio nomine (=brāhmaṇa) discripta traditur ab Arriano non nisi sophistas discripturo pro Brahmanibus, unde luce clarius apparere dixerim illic vocabulo sophistae quasi solam castam Brahmanicam a Graecis designari non secundum Brahmanicas Buddhaicasve ratiocinationes, verum potius secundum propria Brahmanum negotia atque studia in recolenda sapientia Vedica consistentia. Quod quidem argumentum clarissimum adeo cumulabitur,

---

[37] Velut a Diodoro, 2,40,1: ...ὧν ἐστι τὸ μὲν πρῶτον σύστημα φιλοσόφων (= Βραχμάνων)... τῇ... ἐπιφανείᾳ πάντων πρωτεῦον... ~ ...καὶ πρώτους μὲν τοὺς φιλοσόφους εἶναι κατὰ τιμήν... = Strab. 15,1,39. Cf. insuper Arriani *Ind.* 11,1, ubi Megasthene auctore σοφισταί (= Βραχμᾶνες) censentur δόξῃ... καὶ τιμῇ γεραρώτατοι.

[38] Arriani *Anab.* 6,16,5: ...Βραχμάνων, οἳ δὴ σοφισταὶ τοῖς Ἰνδοῖς εἰσιν... Ὑπὲρ ὧν ἐγὼ τῆς σοφίας... ἐν τῇ Ἰνδικῇ ξυγγραφῇ δηλώσω... ~ Strab. 15,1,61, ubi Aristobulus in urbe Takkasila = ἐν Ταξίλοις σοφιστῶν ἰδεῖν δύο φησί, Βραχμᾶνας ἀμφοτέρους...

[39] = ἐν τῇ Ἰνδικῇ ξυγγραφῇ, ubi Brahmanes ne semel quidem Βραχμᾶνες appellantur, verum passim σοφισταί.

[40] Occurrunt illic hae sapientum notiones:

1. γυμνοσοφισταί — γυμνοί, velut apud Hesychium, ubi Βραχμᾶνες = οἱ παρ' Ἰνδοῖς γυμνοσοφισταὶ καλούμενοι.
2. σοφισταί: cf. Arriani *Anab.* 6,16,5; *Ind.* 11; Strab. 15,1,61.
3. φιλόσοφοι — σοφοί: cf. Diod. 2,40,3; Strab. 15,1,39.58.59.70.

[41] „Dupliciter geniti" = dvija vocantur tribus castis primoribus ascripti, quod post priorem ortum naturalem quasi iterum nasci videantur, cum peculiari gliscente caerimonia adeo sollemni ritu introducantur in tres castas primores. Ceterum vocabulum dvija plerumque ad solos Brahmanas nominandos quadrat aeque atque vipra. Cf. Gawroński, *l. l.* p. 190.

cum non nulla officia, quae illic sophistis philosophisve a Graecis tribuuntur, non nisi in Brahmanas sane quadrent examinata, veluti officia in sacrificando[42], vaticinando[43], docendo[44], consulendo[45] consistentia, quae castae Brahmanicae propria fuerint secundum Vṛddha — Caṇakya 11, 12, ubi talia officia non nisi Brahmani (=vipra) dupliciter-genitis recte annumerando[46] eidemque sex semper officiis contentissimo (=ṣaṭkarmaniratah sadā) solito expressius appinguntur. Ceterum vix ita omnibus numeris expletam ac perfectam castae Brahmanicae effigiem a Graecis perenni memoriae mandatam esse autumaverim, cum illic ex honoribus Brahmanum modo carentibus cum maxime desiderari videatur purohita ille longe inclutissimus aulicus sacerdos Brahmanicus[47], omnipotens auctoritate ac voluntate, cuius sacerdotis omnino nulla umquam mentio facta esse videatur, nisi forsitan sit coniciendum memoratum esse purohitam illum fortasse a Nearcho consiliarios regibus advocaturo[48].

Iam cum Graeci Indos discripturi plerumque — ut supra demonstravi[49] — non illo proprio castae Brahmanicae eodemque augustissimo nomine brāhmaṇa[50] — oriundo a vocabulo Sanscrito brahman[51] — verum potius vocabulis sapientia oriundis[52] castam Brahmanicam beaverint, contermina ilicet nascitur quaestiuncula, utrumne notiones talium nominum sapientiam mirifice redolentium dumtaxat in castam Brahmanicam cadere, an potius extra castae Brahmanicae cancellos quasi evagari latiusque patere videantur, si quando Brahmanas aeque atque alios mortales Himālayam[53] petere gestientes simul complec-

---

[42] Arriani *Ind.* 11,2: ...θύειν τὰς θυσίας τοῖσι θεοῖσιν...

[43] Arriani *Ind.* 11,4: Εἰσὶ δὲ καὶ μαντικῆς οὗτοι μοῦνοι Ἰνδῶν δαήμονες... οὐδὲ ἐφεῖται ἄλλῳ μαντεύεσθαι ὅτι μὴ σοφῷ ἀνδρί.

[44] Strab. 15,1,61: Ἀριστόβουλος δὲ τῶν ἐν Ταξίλοις (= Takkasila) σοφιστῶν ἰδεῖν δύο φησί, Βραχμᾶνας ἀμφοτέρους... ἀμφοτέροις δ' ἀκολουθεῖν μαθητάς...

[45] Strab. 15,1,66.

[46] Quod illinc resonare videtur:... *sa vipro dvija ucyate.*

[47] *Caste*, p. 11: *The Brahman was at first an assistant at sacrifices ...Afterwards he became a purohita... or family priest. This office became hereditary and those who held at courts became the advisers and counsellors of kings.*

[48] Strab. 15,1,66: Νέαρχος δὲ περὶ τῶν σοφιστῶν οὕτω λέγει· τοὺς μὲν Βραχμᾶνας πολιτεύεσθαι καὶ παρακολουθεῖν τοῖς βασιλεῦσι συμβούλους, τοὺς δ' ἄλλους σκοπεῖν τὰ περὶ τὴν φύσιν...

[49] Cf. annotatiuncula 40.

[50] Qui Graece nominantur alias Βραχμᾶνες, Βραχμᾶναι, Βραχμάναι, Βραχμάνοι.

[51] Cf. Apte, *l. l.* p. 394—396, ubi notiones vocabuli brahman — ut est captus Indorum — aestimantur.

[52] Cf. annotatiuncula 40.

[53] Cf. annotatiuncula 24.

tantur. Quae sapientum notiones quo usque abeant, unde plenius demonstretur, quam exemplo notionis vocabuli sophistae, quae quasi trifariam scindi videtur migratura in tres species, quarum una quasi solam castam Brahmanicam comprehendit sine reliquis eremitis, altera iam Brahmanas aliosque eremitas promiscue complectitur, tertia denique alios eremitas praefert absque casta Brahmanica. Iam cum de prima illa vocabuli sophistae notione praelatura quasi solam castam Brahmanicam supra scriptum sit in discribendo primo genere Indorum ad castam Brahmanicam solito propius accedenti, sequitur, ut altera species notionis sophistae circumspiciatur, quae in Brahmanas aeque atque in alios sapientes cadere videatur. Cuius notionis auctores traduntur Nearchus[54] aeque ac Megasthenes, a quo Strabo et Clemens Alexandrinus testificantur sophistarum genus bifariam ita esse discriminatum, ut secernantur Brahmanes a Sarmanibus[55] vitam solitariam in egestate degentibus, qui Sanscritice śramaṇa[56], Pālice samaṇa nuncupabantur, unde luce clarius demonstrabitur illic apud Strabonem[57] nusquam Garmanas, verum ubique Sarmanas esse restituendos, cum infandum illud Garmanum monstrum — oriundum forsitan incuria scribae litteram C = Σ in Γ(αρμᾶνας) similitudinis gratia lubentius transformaturi — mea utique opinione in Sarmanas ilico restaurandum esse videatur secundum Sanscrita et Pālica litterarum documenta ne uno quidem loco Garmanas, verum passim Sarmanas (= śramaṇa = samaṇa Pālice) sane praeferentia[58], qui Brahmanas vānaprasthas[59] solito lubentius studebant aemulari. Nam ex quo Vardhamāna vates clarissimus — honoris gratia modo Mahāvīra[60], plerumque Jina[61] nuncupatus — sexto a. Chr. n. saeculo illam discipli-

---

[54] Cf. annotatiuncula 48, ubi Nearchus bifariam sophistas discripserat ...τοὺς μὲν Βραχμᾶνας... τοὺς δ' ἄλλους...

[55] ...δύο γένη φάσκων, ὧν τοὺς μὲν Βραχμᾶνας καλεῖ τοὺς δὲ Γαρμᾶνας = Strab. 15,1,59. διττὸν δὲ τούτων τὸ γένος, οἱ μὲν Σαρμᾶναι αὐτῶν, οἱ δὲ Βραχμᾶναι καλούμενοι = Clem. Alex. *Strom.* 1,15,71,5.

[56] = *an ascetic... a religious mendicant in general... a Buddhist ascetic...* = Apte, *l. l.* p. 564.

[57] = Strab. 15,1,59,60.

[58] *... Megasthenes was aware of a distinction between Brahmanas and Śramanas by him called Brachmanes and Sarmanes and regarded as subdivisions of the class of philosophers...* = Monahan, *l. l.* p. 151.

[59] = silvicolas = *a Brahmana in the third stage of his religious life... an anchorite, a hermit...* = Apte, *l. l.* p. 501.

[60] = „Magnus heros".

[61] = „Victor".

nam Jainicam constituerat, quae Brahmanibus vānaprasthis asperioris vitae eremiticae palmam praeriperet, alumnorum adaugebatur studium Brahmanas aemulantium. Iam adeo Siddhārtha ille longe inclutissimus cum haud procul a Gayā[62] sub ficu mirifica iam Buddha[63] experrectus[64] quattuor illas veritates divinas contionabundus in urbe Varānasī[65] (=Kaśi) pronuntiasset muniturus octuplam semitam sanctissimam salutis alumnis graviora perpessis, mirum quantum contulit ad cumulanda agmina silvicolarum potiora exempla vānaprasthis Brahmanicis praeripientium. Ita cum tantis auctoribus in dies numerus glisceret innumerus Indorum Himālayam petere[66] gestientium, nimirum Graeci aetate Megasthenis adumbraturi Brahmanas similia ferme patiebantur atque etiam nunc experiuntur viatores intra vastas Indiae plagas exquisituri illos germanos artis faqīricae cultores: nam quotus quisque sincerus inter tot fucosos tantae professionis actores inveniri queat, si dumtaxat intra plagas supra regionem Haridvār[67] sitas in Himālaya idem reperiatur? Ceterum Graeci iam ante Megasthenem in Bihāram legatum Brahmanas germanissimos exquirentes solito faustius rimabantur per Gandhāram[68] intra amnes Indum atque Hydaspen Sanscritice Vitastā nuncupatum, haud procul ab urbe Takṣaśilā[69] — quae Takkasilā Pālice nominatur — ubi iam inde antiquitus celebritate loci frequentissimum idemque florentissimum mirum quantum vigebat disciplinae Brahmanicae seminarium, quo ne in urbe quidem Varānasī (=Kaśi)[70] nobilior officina disciplinam Brahmanicam propagatura posteritati floruisse traditur. Itaque Takṣaśilā vix citra fidem memoratur celebrata Brahmanum sedes ab Onesicrito[71] cum quindecim sophistis Alexandri Magni iussu colloquenti. Neque hic esse videtur praetermittendus memoria dignissimus Aristobulus Brahmanum admirator in urbe Takṣaśilā in-

---

[62] Quae adhuc frequentissima celebritate loci sita est in Bihara fere media ad occidentem vergenti.

[63] Qui quidem ex hac vita migrasse fertur circiter annum 480 a. Chr. n.

[64] Circiter annum 500 a. Chr. n.

[65] Quae urbs Indorum sanctissima nunc Benares nominatur, ubi iam inde antiquitus vigebat illa augustissima Brahmanum disciplinae officina.

[66] Cf. annotatiuncula 24.

[67] Qua regione Gangis fluenta Himalayam perrumpentis provolvuntur per loca iam iamque patentia.

[68] Quae regio sita est in India septemtrionali vergenti ad occidentem.

[69] Quam urbem celeberrimam Graeci Τάξιλα vocabant.

[70] Cf. annotatiuncula 65.

[71] Strab. 15,1,63.

notescentium[72]. Quam urbem praesignem gliscente Brahmanum frequentia posteriore quoque tempestate a Graecis esse memoratam cum maxime testantur Philostrati de Apollonio Tyanensi libri[73], ubi Apollonius Tyanensis in urbe Takṣaśilā de itinere, quod ad Brahmanas duceret, certior factus est.

Ad Megasthenem redeo longe inclutissimum Indiae opificem, quo nemo Graecorum uberius, nemo exactius, nemo denique perfectius res Indicas conscripserat[74]. Qui cum legatus circiter annum 300 a. Chr. n. a Seleuco Nicatore rege ad Indorum regem, qui Candragupta vocabatur, tantisper plurimis ad Indiam cognoscendam nuntiis usus foret, dum aliquamdiu deversaretur in aula regia in urbe Paṭaliputra[75], materiam acquirebat undique congesticiam, unde India componeretur[76]. Quam quidem urbem, haud procul sitam a regione Gayā[77], tunc iam circumsonabat disciplina Buddhaica minus amica — aeque atque Jainica — praefractae Brahmanum doctrinae atque imperiosae maiestati, unde Brahmanum adhuc omnipotentium nimia voluntas aliquatenus in posterum infringi coepta foret. Itaque cum illud inter nondum iudicatas res abire videatur, utrumne Buddhaicae, an Jainicae, an nescio cui alii disciplinae sint ascribendi Sarmanes illi a Graecis honorati ob miri-
ficam illam continentiam[78], tamen si a Megasthene Indiam adumbranti Buddha ipse reapse honorifice memoratur[79], iam inde concludere ausim haud absimili ratione honoratam esse a Megasthene disciplinam Buddhaicam aeque atque numero carentes alumnos Buddhaicos intra

---

[72] Strab. 15,1,61: Ἀριστόβουλος δὲ τῶν ἐν Ταξίλοις (= Takkasila) σοφιστῶν ἰδεῖν δύο φησί, Βραχμᾶνας ἀμφοτέρους...

[73] Philostr. *Vit Apoll.* 2,60: Πορευθέντας δ' αὐτοὺς ὑπὲρ τὸν ποταμὸν ἦγεν... εὐθὺ τῶν Ταξίλων...

[74] Witkowski, *l. l.* III p. 111: *Dzieło Megastenesa* Ἰνδικά *stanowi ostatni wyraz tego, co starożytność wiedziała o Indiach... nikt przed nim ani po nim nie dał tak wyczerpującego obrazu kraju i ludzi, jak Megastenes...*

[75] Cf. annotatiuncula 21.

[76] T. Sinko, *Literatura grecka* II 1, Kraków 1947, p. 173: *W jego rezydencji Pataliputra... zbierał wiadomości o dalszych krainach, a wyniki tych wywiadów złożył w dziele* Ἰνδικά *(w 4 księgach).*

[77] Sita in Bihara fere media vergenti ad occidentem, ubi Siddhartha sub mirifica fico iam Buddha experrectus circiter annum 500 a. Chr. n. disciplinam quattuor veritatum sanctarum contionabundus commendaverat alumnis graviora perpessis.

[78] Cf. Strab. 15,1, 59—60; Clem. Alexandr. 1,15,71, 4—6.

[79] Clem. Alexandr. 1,15,71,6, ubi a Megasthene memorantur Indi οἱ τοῖς Βούττα πειθόμενοι παραγγέλμασιν, ὃν δι' ὑπερβολὴν σεμνότητος εἰς θεὸν τετιμήκασιν...

Himālayam[80] delitescentes quos Graeci Σαρμᾶνας[81] (=samaṇa Pālice=Sanscritice śramaṇa) nuncupabant. Quodsi contentio quaedam et comparatio fiat Indorum aetate Megasthenis Himālayam petere gestientium[82], haud sciam an illic primas fere samaṇa Buddhaicus obtinere videatur, qui aeque atque ille vānaprastha[83] Brahmanicus promiscue communi silvicolarum[84] vocabulo a Graecis consono ore concelebrabatur. Ita reapse haec altera species notionis vocabuli sophistae latius quam illa prior patet porrecta, cum iam Brahmanicos pariter atque Buddhaicos aliosque complectatur silvicolas, quorum quisque in promiscuo censetur in aestimationem venturus forsitan non secundum ipsius Megasthenis censendi rationem, verum potius ob aestimationem populi Indorum a Megasthene repetitam.

Quo tamen promptius talia probentur conamina popularia[85] Megasthenis coniventis in illis silvicolis significantius discriminandis, unde appositiora ad demonstrandum mutuari coner argumenta, quam ex illis edictis clarissimis, quae quidem ipse Aśoka[86], rex Indorum longe inclutissimus idemque princeps disciplinae Buddhaicae fautor sincerus rupibus incidi iusserit, ubi Aśoka in discriminandis Brahmanum aliorumque silvicolarum rationibus quasi conivere videatur in promiscuo iuxta positis vocabulis brāhmaṇaśramaṇa: śramaṇabrāhmaṇa[87], quibus adeo illic perfruatur non dumtaxat ad tollendam illam morosam castarum differentiam Brahmanicam usque quaque ab alumnis Buddhaicis reprobatam, verum etiam ad infirmandam castae Brahmanicae potentiam, cum ipse Aśoka rex solito lubentius sit facturus cum partibus Buddhaicis. Qui denique scilicet Megasthenis aetati conterminus idem fere atque Megasthenes nimirum moliebatur scaenae spectaculum mirifi-

---

[80] Ubi vitam degebant meditabundi in egestate.

[81] Clem. Alexandr. 1,15,71,5: ...οἱ μὲν Σαρμᾶναι αὐτῶν... καὶ τῶν Σαρμανῶν... Cf. insuper Strab. 15,1,59, ubi repetitur illud Γαρμᾶνας = Σαρμᾶνας.

[82] Cf. annotatiuncula 24.

[83] Cf. annotatiuncula 59.

[84] Qui ὑλόβιοι Graece vocantur, ut sane testatur Clem. Alexandr. 1,15,71,5: Καὶ τῶν Σαρμανῶν οἱ ὑλόβιοι προσαγορευόμενοι... Cf. insuper Strab. 15,1,60: Τοὺς δὲ Γαρμᾶνας (= Σαρμᾶνας) ὑλοβίους φησὶν ὀνομάζεσθαι, ζῶντας ἐν ταῖς ὕλαις...

[85] Monahan, *l. l.* p. 151... *Megasthenes would naturally be led... to treat Brahman and non-Brahman priest, monks, and ascetics of different denominations as forming one class of „philosophers" or „sophists". In this view he may, probably, have been supported by what appeared to him to be the popular estimation...*

[86] Viguerat rex annis 273—232 a. Chr. n.

[87] =... *written as a compound word referring to a class of persons, „brahmans and ascetics", and respect for the class enjoined* = Monahan, *l. l.* p. 151.

cum, ubi reapse illi brāhmaṇaśramaṇa pariter atque śramaṇabrāhmaṇa iam iamque in promiscuo versari videantur secundum opinionem popularem[88], quasi iam sublata acerbissima discriminandi ratione propria castae Brahmanicae.

Tertia illa restat species notionis vocabuli sophistae quasi iam extra castam Brahmanicam versantis. Cum enim contendat Megasthenes ab Arriano advocatus posse sophistas ex quoviscumque Indorum genere oriri[89], iam vix dubium cuiquam relinquatur, quin tales sophistae — ex quaviscumque casta oriundi — minus quadrent in castam Brahmanicam adeo a reliquis castis discriminatam, uti vix cuiquam discolori ulla illuc orbita deverti videatur. Atque cum discriminandi rationes solito morosiores, quibus castae ceu cancellis circumdentur, ex aliqua saltem particula cognitas Megastheni esse appareat[90], haud sciam an coniciendum sit illam tertiam notionem sophistae ex quaviscumque casta oriundi non in Brahmanas, verum in solos Sarmanas[91] ad amussim quadrare secundum praeclara illa documenta, quae inscribuntur Jātakamālā[92], quasi Corolla 550 vitarum, quas Bodhisatta tantisper foret perpessus, quoad quingenties quinquagies renasceretur. Qui quidem aliquando contionabundus — ut fert Vinayapiṭaka 9, 14 — coram alumnis degentibus vitam solitariam in egestate, initae subductaeque quattuor castarum rationi insignem illam appinxerat contentionem, ubi participes quattuor castarum: khattiya, brāhmaṇa, vessa, sudda Himālayam petere gestientes ilicet se sua quisque casta abdicent, ceu amnes illi primores: gaṅgā, yamunā, aciravatī, sarabhū, mahī, qui dum mari oceano miscentur, iam iamque nominatim evanescunt; unde forsitan coniciendum esse videatur ex quaviscumque casta oriundos mortales Himālayam petere gestientes — ubi vitam solitariam sint acturi meditabundi in egestate — illic ita depingi, quasi

---

[88] Cf. annotatiuncula 85. Cf. insuper Monahan, *l. l.* p. 151, ubi quidem Megasthenes *does not seem to have been aware of the theory of four castes...*

[89] Arriani *Ind.* 12,9: Μοῦνόν σφισιν ἀνεῖται σοφιστὴν ἐκ παντὸς γένεος γίνεσθαι...

[90] Arriani *Ind.* 12,8: Γαμέειν δὲ ἐξ ἑτέρου γένεος οὐ θέμις... οὐδὲ ἀμείβειν ἐξ ἑτέρου γένεος ἐς ἕτερον... ~ οὐχ ἔξεστι δὲ γαμεῖν ἐξ ἄλλου γένους ἢ προαιρέσεις ἢ τέχνας μεταχειρίζεσθαι... = Diod. 2,41,5.

[91] Monahan, *l. l.* p. 151: *Megasthenes... noticed that certain kinds of ascetics, such as the Buddhist śramanas, were drawn from various classes of the population...*

[92] *„...znaczy Girlanda dżatak, czyli wieniec opowiadań z dawnych żywotów Buddhy, kiedy chodził po świecie jako Bodhisattva, t. j. istota (niekoniecznie i nie zawsze cz|owiek), której przeznaczeniem jest osiągnąć bodhi „poznanie, przebudzenie"...* = Gawroński, *l. l.* p. 193.

iam extra castas versentur non nisi saluti petendae longe intentissimi: qui quidem silvicolae Graece potissimum Sarmanes appellantur, qui Pālice samaṇa, Sanscritice śramaṇa nominantur[93].

Iam circumspecta trina vocabuli sophistae notione secundum percrebrescentem illic opinionem popularem, colligere ausim non illam germanissimam castam Brahmanicam nimirum circumclusam imperviis edictorum cancellis — quamvis salvo ceteroquin indubio Brahmanum principatu[94] — a Graecis consono ore concelebrari, cum intermisceantur illic aliquot elementa adventicia, quasi mantissae vice fungentia, unde nascantur sophistarum genera eremitica contemplandi professione praesignia, quibus tamen aliunde oriundis receptaculi gratia ad castam Brahmanicam vix ulla devertatur orbita secundum illa morosiora Brahmanum discriminandi commenta, quae Graeci primoribus dumtaxat labellis praegustasse[95], nedum percepisse videantur. Namque mea utique opinione Graecos omnino fugerat inaudita illa eademque mlecchis[96] vix conspicua dupliciter genitae[97] adeoque Brahmanicae castae castitas, ob quam Brahmanibus nulla prorsus cum incestis — ut erat captus Indorum — Śūdrarum[98] atque Cāṇḍālarum[99] castis incoharetur vitae victusque communio, praesertim cum Brahmanes Śūdrarum atque Cāṇḍālarum contagione usque quaque abstinere gestirent. Quod quidem cum maxime expertus ac perpessus erat Bodhisatta[100] ipse reapse aliquando iam Cāṇḍāla renatus — ut fert Satadhamma Jātaka 2, 82 — cum peregrinabundus forte foret congressus cum adolescentulo Brahmanico septemtrionali India ad occidentem vergenti oriundo, qui quidem admodum esuriens, quasi deficiente parumper tantae rei conscientia, reliquias cibi iam a Bodhisatta cāṇḍāla adesi

---

93 Cf. annotatiucula 56.

94 Quo in principatu Brahmanum tradendo atque concelebrando Romani a Graecis mirum quantum declinasse videntur, quia Plinius (*Nat. hist.* 6,19) et Solinus (*Collectan. rer. mem.* 52,9) contra perennia Indorum placita contraque morem Graecorum usque quaque Brahmanas principe statione honorantium, Indorum sapientes non primo — ut Graeci — sed quinto demum loco discripserant.

95 Cf. annotatiuncula 90, unde non nisi ex aliqua particula Megastheni cognitas esse apparet discriminandi rationes Brahmanicas.

96 = *A barbarian... a foreigner in general... an outcast...* = Apte *l. l.* p. 450.

97 Cf. annotatiuncula 41.

98 Cf. annotatiuncula 17.

99 = *Wicked or cruel in deeds, of black deeds... A general name for the lowest and most despised of the mixed castes originating from a Śudra father and a Brahmanna mother... A man of this caste, an outcast...* = Apte, *l. l.* p. 201.

100 Cf. annotatiuncula 26 et 92.

ipse quidem comederat, sed mox, redeunte pavore ac mentis consternatione ob gliscentem tanti facinoris conscientiam, easdem cibi reliquias iam comesas iamque adeo cum proprio sanguine commixtas solito vehementius ructaturus evomuerat ac desperata salute iam iam pessum iturus esuritor moribundus Himālayam petiverat ibique leto correptus est. Ne multis, si iam summa subducatur infandae iniuriae annis numero carentibus ob mirificam dupliciter genitae castae castitatem miserrimis Śūdris Cāṇḍālisque illatae, sufficiat si annotetur innumerum illum 50000000 Indorum numerum extra primorum castarum communionem ita versari nostra tempestate, uti aetatem degant in summa miseria, unde eos emancipandos equis virisque curaverit potissimum Mahatma Gandhi, quoad leges[101], ferantur quae medeantur summae iniuriae.

Demonstrare supra nixus sum, quantum valui, Graecam discriptionem sophistarum e quaviscumque casta advenientium salvo ceteroquin tanto Brahmanum principatu alias vix quadrare in castam Brahmanicam divinitus constitutam adeoque circumclusam tantis edictorum cancellis, ut ad eam nulla cuiquam discolori fausta receptaculi orbita deverti videatur. Quae differentia discribendi forsitan latius pateat, praesertim cum non nulla negotia propria castae Brahmanicae et castae equestris in seiuncta Indorum genera contra placita Brahmanica a Graecis violentius diffingi videantur. Namque illam augustissimam consulendi professionem, unde immensa purohitarum[102] gliscebat potentia, quasi bifariam Graeci digerebant, qui insuper adventicium illud genus consultorum regiorum septimo[103] demum eodemque ultimo loco discripserint. Quid? quod haud absimili ratione plerumque oriundi casta equestri magistratus non nulli, seiuncto illi sexto[104] generi Indorum a Graecis attribuebantur contra placita Brahmanica atque Buddhaica.

Ceterum inversus a Graecis castarum ordo Brahmanicas aeque ac Buddhaicas discribendi rationes actutum ad incitas redegisse videtur: quod quidem cum maxime in castam equestrem (= kṣatriya[105] = Pālice

---

[101] Quae leges tandem aliquando ferri coeptae sunt, nimirum vix demum inde ab anno 1947 p. Chr. n., unde miserrimi illi 50000000 asprśa (= „non tangendi") aliquantulo humanius tractari coepti sunt.

[102] Cf. annotatiuncula 47.

[103] Arriani *Ind.* 12,6: Ἕβδομοι δέ εἰσιν οἱ ὑπὲρ τῶν κοινῶν βουλευόμενοι ὁμοῦ τῷ βασιλεῖ... Cf. insuper Diod. 2,41,4; Strab. 15,1,49.

[104] Arriani *Ind* 12,5: Ἕκτοι δέ εἰσιν Ἰνδοῖσιν οἱ ἐπίσκοποι καλεόμενοι. Cf. insuper Diod. 2,41,3; Strab. 15,1,48.

[105] Cf. annotatiuncula 15.

khattiya) cadere contenderim. Namque a Graecis quinto[106] demum loco usque quaque discripti feruntur illi belligeratores[107], qui apud Indos adeo summa pollentes gratia passim secundo vel interdum *primo loco discribi videantur, cum quidem Brahmanibus indubium* adhuc principatum equis virisque praerepturi sint. Namque ipse Buddha — ut fert Vinayapiṭaka 9, 1, 4 — contionabundus coram alumnis, prorsus inversis discriminandi *commentis Brahmanicis, non secundo* — ut Brahmanes — sed adeo principe loco castam equestrem Pālice nuncupatam honoravit: khattiya, brāhmaṇa, vessa, sudda: quae Buddhaica castae equestris discriptio iam ad infrigendum adhuc indubium castae Brahmanicae principatum spectare videbatur, cum Brahmanibus principis loci divinitus[108] constituti palmam praeriperet. Itaque Buddhaicae disciplinae cultores, minus amici nimiae Brahmanum potentiae, adhuc indubium castarum ordinem, quem divinitus discriptum tradiderat Manu — brāhmaṇa, kṣatriya, vāiśya, śūdra — violentius invertebant cum principe loco divinitus constituto castam Brahmanicam privarent summumque castae equestri (=khattiya) principatus honorem largirentur.

Ad castam popularem (=vāiśya[109]=vessa Pālice) venio, agricolis, mercatoribus, opificibus consistentem[110], quam quidem Graeci in tria genera discripserant, quorum unum erat genus agricultorum, numero praevalentium secundo[111] loco ubique discriptum, alterum genus pastorum passim tertia[112] statione memoratum, tertium genus opificum atque mercatorum quarto[113] loco positum, cum apud Indos casta illa popularis (=vāiśya) non nisi tertio loco discripta vigeret. Cum autem agricultoribus atque opificibus plerumque operarii numerosiores praesto esse solerent intenti exer-

---

[106] Arriani *Ind.* 12,2: Πέμπτον δὲ γένος ἐστὶν Ἰνδοῖσιν οἱ πολεμισταί... Cf. insuper Diod. 2,41,2; Strab. 15,1,47. Illic vero a Graecis Romani protinus declinare videntur, cum Plinius 6,19 et Solinus 52,9 castam equestrem secundo loco discriptam memoraverint.

[107] = πολεμισταί ab Arriano et Strabone nominati locis modo allatis.

[108] Cf. annotatiuncula 18 et 19.

[109] Cf. annotatiuncula 16.

[110] Cf. Gawroński, *l. l.* p. 190.

[111] Arriani *Ind.* 11,9: Δεύτεροι δ' ἐπὶ τούτοισιν οἱ γεωργοί εἰσιν, πλήθει πλεῖστοι Ἰνδῶν ἐόντες. Cf. insuper Diod. 2,40,4; Strab. 15,1,40.

[112] Arriani *Ind.* 11,11: Τρίτοι δέ εἰσιν Ἰνδοῖσιν οἱ νομέες, οἱ ποιμένες τε καὶ βουκόλοι. Cf. insuper Diod. *l. l.* 2,40,6; Strab. 15,1,45 sq.

[113] Arriani *Ind.* 12,1: Τέταρτον δέ ἐστι τὸ δημιουργικόν τε καὶ καπηλικὸν γένος. Cf. insuper Diod. 2,41,1; Strab. 15,1,47.

cendis negotiis ac laboribus, fortasse tria illa Indorum genera: agricultorum, pastorum, opificum mercatorumque discripta a Graecis secundum *ipsorum negotia ac professiones, ita tertiae castae popularis* (=vāiśya) numerum modumque excedebant, ut isti operarii numero carentes illuc aliunde advenire videantur.

Quartae castae *infimae*[114] atque *miserrimae*[115] Śūdrarum numero carentium omnino nullam a Graecis factam esse mentionem iam plane apparebit, dum singula percenseantur documenta Graecorum Indos discribentium, ubi ne levissimum quidem tam numerosae castae deprehendatur vestigium, cum interea inter septem illa genera Indorum a Megasthene discripta non nulla elementa elici queant, quae in tres castas primores dupliciter genitas cadere videantur.

Argumentum ex silentio altissimo Graecorum praeterlabentium quartam castam Śūdrarum mixtamque castam Cāṇḍālarum[116] cum iam sufficiat demonstrandae plenissimae penes Graecos earundem castarum defectioni, tamen haud sciam an insuper aliquantum corroborari queat impraesentiarum, repetita sincera mentione castam Śūdrarum (=sūdra[117]) non nisi servis consistere, qui serviendo tribus castis primoribus dupliciter genitis morigerentur[118]. Itaque vix dubium cuiquam relinqui queat, quin praesto fuerint Indis servi numero carentes, quorum frequentiam Manu septemfariam discripserat[119], unde nuncuparentur Sanscritice: dhvajāhṛta — bhaktadāsa — gṛhaja — krīta — datrima — pāitrika — daṇḍadāsa[120]. Quorum servorum septem illa distinctiora genera adeo consilio Megasthenes est infitiatus, ut ipsa reclamante veritate ilicet infitias ierit in India servos ullos conspici, cum omnes Indi liberi forent. Quod infandum commentum cum citra fidem a Megasthene proponatur[121] Indorum liber-

---

[114] Cf. annotatiuncula 17.

[115] Jarra, *l. l.* § 7:... *tak więc ta kasta najniższa, której odebrano wszelką nadzieję polepszenia swej doli, żyła w ostatnim upadku i w nędzy.*

[116] Cf. annotatiuncula 99.

[117] Cf. annotatiuncula 17.

[118] Apte, *l. l.* p. 560:... *his principal business was to serve the three higher castes*; Jarra, *l. l.* § 7: *Czwartej kaście śudrów przeznaczył władca „jedno tylko zajęcie, bez szemrania służyć tamtym trzem kastom". Śudra nawet wyzwolony przez swego pana nie zostawał uwolniony z niewoli, bo niewola — według nauki Manu — była mu wrodzoną.*

[119] Manu 8,415.

[120] = captivus — victus gratia serviens — verna — emptus — donatus — hereditate acceptus — ob poenam luendam serviens.

[121] Arriani *Ind.* 10, 8—9: Εἶναι δὲ καὶ τόδε μέγα ἐν τῇ Ἰνδῶν γῇ, πάντας Ἰνδοὺς εἶναι ἐλευθέρους, οὐδέ τινα δοῦλον εἶναι Ἰνδόν... Ἰνδοῖσι δὲ οὐδὲ ἄλλος δοῦλός ἐστι, μήτι γε Ἰνδῶν τις.

cula forsitan excusari queat licentia Graecorum silentio praeterlabentium discribendam quartam castam Śūdrarum mixtamque castam Cāṇḍālarum.

Itaque Graeci Indos discripturi non illam proponebant Indiam secundum commenta Brahmanica Buddhaicave placita constitutam, verum adeo ipsi comminiscebantur nescio quam Indiam mirificam, sedem remotissimam beatorum Indorum, tanta libertate atque aequitate praecellentium, qui tanta affulgente ahiṁsā pacifici ideoque almae pacis amantissimi vitam degerent praesignem simplicitate, frugalitate, continentia. Quae India utopica quantum distare videatur ab India illa adhuc conspicua secundum miserrimas Śūdrarum atque Cāṇḍālarum vitae condiciones iam inde antiquitus testantur perennia illa Indorum monumenta numero carentia, velut Rāmāyaṇa, unde vel contentio quaedam nascatur et comparatio, ubi in aequo ita ponitur infima miserrimi Cāṇḍālae condicio cum iniqua sorte terrigenae egeni, ut iam fiat manufestum a Cāṇḍāla nil accipi, ab egeno nil offerri (=Rāmāyaṇa 6, 62, 40):

cāṇḍālaśca daridraśca dvāveva sadṛśau mama
cāṇḍālasya na gṛhṇanti daridro na prayacchati

Posnaniae

DE ARISTOTELIS EPISTULIS OBSERVATIONES CRITICAE

Scripsit
MARIAN PLEZIA

De Aristotelis epistulis quaestio[1], licet de eis non illa, qua de Platonicis, doctorum dissensione certatum sit, continet tamen obscura quaedam puncta, minime sane indigna, quae aliquando illustrentur. Quorum nunc pauca aggredi in animo est.

I

Stagiritis epistularum indicem locupletissimum, qui quidem ad nos pervenit, exhibet Laërtius Diogenes (V 27) Hermippo, ut videtur, auctore[2]. Cuius contextum nemini, quantum scio, in dubium vocatum[3] lectorum oculis primum subicere placet:

'Επιστολαὶ πρὸς Φίλιππον
Σηλυμβρίων ἐπιστολαί
πρὸς 'Αλέξανδρον ἐπιστολαὶ $\bar{\delta}$
πρὸς 'Αντίπατρον $\bar{\vartheta}$
πρὸς Μέντορα $\bar{\alpha}$
πρὸς 'Αρίστωνα $\bar{\alpha}$
πρὸς 'Ολυμπίαδα $\bar{\alpha}$
πρὸς 'Ηφαιστίωνα $\bar{\alpha}$
πρὸς Θεμισταγόραν $\bar{\alpha}$
πρὸς Φιλόξενον $\bar{\alpha}$
πρὸς Δημόκριτον $\bar{\alpha}$

Varietas lectionis[4] (L = Laurent. 69,13; L^2 = Laurent. 69,28): 2 Σηλυβρίων L 3 π. 'Αλέξανδρον τέτταρες ἐπιστολαί L^2 5 π. Μέντορα $\bar{\vartheta}$ L 6 π. 'Αρίστωνα in L^2 ponitur ante π. Μέντορα.

---

[1] Ad. Stahr, *Aristotelia*, Halle 1830—32, I 191—208; II 169—234; E. Heitz, *Die verlorenen Schriften des Aristoteles*, Leipzig 1865, p. 280—289; U. v. Wilamowitz-Moellendorff, *Antigonos von Karystos*, Berlin 1881 (Philologische Untersuchungen IV), p. 151; A. Meyer, *Theophrasti* περὶ λέξεως *libri fragmenta*, Lipsiae 1910, p. 209 sqq; G. Przychocki, *De Gregorii Nazianzeni epistulis*, Cracoviae 1912 (Rozprawy Akad. Umiej. Wydz. filol. t. L), p. 251 sqq.; J. Sykutris, *Epistolographie*, RE V Suppl., 189 sq. 197; K. O. Brink, *Peripatos*, ib. VII Suppl. 913.

[2] Qua de re cf. disputatiunculam meam *De Hermippi vita Aristotelis* (Charisteria Th. Sinko, 1951) p. 285.

[3] Quod mihi *Vitae Aristotelis* Laërtianae editionem separatam ab Ingramo Bywater (Oxonii 1879) confectam ipsi inspicere non contigit, libri huius in bibliothecis raritas (*privately printed*) fortasse excusabit.

[4] Cf. V. Rose in Aristotelis ed. academica t. V, Berolini 1870, p. 1465 sq.

tatem nimium quantum exaggeraturo servitute oblitteranda, tamen simul clarissimo esse videtur documento vix potuisse Graecos tantam libertatem consilio Indis appingentes ullum discribendi locum largiri quartae infimae castae servorum (= śūdra) numero carentium, qui non nisi serviendo tribus castis primoribus dupliciter genitis — ut fert Hitopadeśa 4, 21 — nimirum inde oriundi honoris gratia adeo morigerari videantur = śūdrastu dvijasevayā[122].

Iam igitur iuvabit revelare ipsum discribendi cardinem, quo verisimilius tandem aliquando explicetur, cur ita Graeci, vel ipsa reclamante veritate, consilio comminiscantur Indiam omnino carentem servis oriundis Śūdrarum casta a Graecis silentio transmissa. Quod quidem cum maxime Graeci moliebantur ob mirifica consilia propositaque Utopiam[123] aemulantia ita Indos discripturi, ut India procul sita in confinio orbis terrarum esse videatur mirifica beatorum regio Indorum, qui a cultu quasi remoti adeoque litterarum nescii[124] tanta libertate atque aequitate perfruantur servitutis expertes[125] ipsique natura pacifici atque affulgente ahiṁsā[126] cuiviscumque aggressioni minus amici esse soleant ob eximium iustitiae studium[127], denique vitam degant beatam secundum simplicitatem, frugalitatem, continentiam[128]. Quae cum ita sint, iam quartam illam infimam eandemque miserrimam castam Śūdrarum, consistentem non nisi servis numero carentibus, in illam Indiam utopicam vix quadraturam esse autumaverim, unde ex aliqua saltem parti-

---

[122] = *Hitopadeśa* 4,21.

[123] Witkowski, *l. l.* III p. 25: *Pociąg do utopij zrozumiały jest w Grecji i dlatego, że w żadnym innym kraju nie zastanawiano się nad państwem tak wcześnie i tak wiele jak tutaj... Z poznaniem Wschodu za Aleksandra Wielkiego krajem idealnym stają się Indie.*

[124] Strab. 15,1,53: Οὐδὲ γὰρ γράμματα εἰδέναι αὐτούς, ἀλλ' ἀπὸ μνήμης ἕκαστα διοικεῖσθαι... Unde ne legibus quidem scriptis Indi perfruuntur, cum Megasthenes adeo ἀγράφοις νόμοις χρωμένοις Indis ibidem gloriari videatur.

[125] Cf. annotatiuncula 121.

[126] = *harmlessness, abstaining from killing or giving pain to others in thought, word, or deed...* = Apte, *l. l. p.* 73. Cf. Herod. 3,100, ubi Indi οὔτε κτείνουσι οὐδὲν ἔμψυχον...

[127] Arriani, *Ind.* 9,12: Οὐ μὲν δὴ οὐδὲ Ἰνδῶν τινα ἔξω τῆς οἰκείης σταλῆναι ἐπὶ πολέμῳ διὰ δικαιότητα. Quam beatorum summam virtutem iam inde antiquitus secundum Homerum celebrari docuit Witkowski, *l. l.* III p. 24, ubi respicitur Hom. *Il.* 13, 5—6:

...καὶ ἀγαυῶν Ἱππημολγῶν
γλακτοφάγων Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

[128] Strab. 15,1,53: ...εὐπραγεῖν δ' ὅμως διὰ τὴν ἁπλότητα καὶ τὴν εὐτέλειαν... Cf. insuper annotatiuncula 11.

Philippus, Macedonum ille rex, uxor eius Olympias, filius Alexander, Antipater porro et Hephaestio qui fuerint, nemo ignorat; Mentorem potius Eumenis familiarem[5] (de quo Plutarchus *Eum.* 2), quam Rhodium illum fuisse, qui Hermiam, Aristotelis amicum in vincula coniecisset, divinari par est; Aristonas[6] et Philoxenos[7] plures illis temporibus novimus, quorum unicuique accidere potuit, ut cum Aristotele litterarum commercium haberet; Themistagoras et Democritus mera nobis sunt nomina. Attamen quid inter viros novem mulieremque unam, ad quos ab Aristotele epistulae datae sunt, Selymbriorum epistulae sibi velint, plane nescio omnesque interpretes in dubio haerere videntur. Quam ob rem recte Aemilius Heitz[8] coniecit legendum: ⟨περὶ⟩ Σηλυμβρίων, ostendens minime integram esse hoc loco codicum Diogenianorum memoriam; omnia tamen dubia neque vidit vir sagacissimus neque sustulit.

Quis est enim in auctorum Graecorum indicibus vel mediocriter versatus[9], quem fugiat priora duo lemmata numeris carere? Vidit id iam V. Rose ad eumque locum expresse adnotavit nulla ibi numerorum vestigia in codicibus reperiri. Quod tamen non nisi librariorum errore accidere potuisse luce illustrius est. Sufficit enim, ut veloci tantum oculo totum indicem percurras, ac videbis inter 146 lemmata haec duo sola numeris privata esse. Non magno opere contendam hunc locum post Diogenem demum corruptum esse; fieri enim potuit, ut neglegentior ille compilator ipse earum epistularum numerum omiserit; at persuasum habeo Hermippum, cui totus ille index primo auctori debetur, in enumerandis libris, quibus singula opera constarent, minime segnitia peccavisse, quippe qui versus etiam numeraret, id quod summa eorum in indicis fine adnotata (γίνονται αἱ πάσαι μυριάδες στίχων τέτταρες καὶ τετταράκοντα πρὸς τοῖς πεντακισχιλίοις καὶ διακοσίοις ἑβδομήκοντα) demonstrat.

Si in re per se clara pluribus argumentis opus esset, revocarem lectores ad alteram eiusdem Hermippei indicis recensionem, quae in Aristotelis vita anonyma (Hesychio plerique tribuere) ab Aegidio Menage

---

[5] H. Berve, *Das Alexanderreich auf prosopographischer Grundlage* II, München 1926, nr. 512.

[6] Berve, *op. cit.* nr. 137—140.

[7] Berve, *op. cit.* nr. 793—796.

[8] *Die verlorenen Schriften* 289.

[9] P. Wendland, *Pinakographie* in Gercke-Norden, *Einleitung* I 3 (Berlin 1924), 168 sqq.; F. Schmidt, *Die Pinakes des Kallimachos*, Berlin 1928 (Klass.-philol. Studien hrg. v. Jacoby); A. Dyroff, *Ueber die Anlage der Stoischen Bücherkataloge*, Würzburg 1896 Pr; A. Baumstark, *Aristoteles bei den Syrern*, Leipzig 1900, 53 sqq.

olim primum edita[10] legitur. Haec singulas epistulas non recenset, summam tantum omnium exhibet: ἐπιστολὰς $\bar{\kappa}$; apud Laërtium vero iam epistulae numeris ornatae viginti sunt (4+9+1+1+1+1+1+1+1), unde plane patet codicum Laërtianorum contextum hoc loco in numeris exhibendis vitio quodam occulto laborare.

Quod vitium ut tollatur, via ab Aemilio Heitz aperta progredi oportet. Legamus illo duce:

ἐπιστολαὶ πρὸς Φίλιππον
〈περὶ〉 Σηλυμβρίων ἐπιστολαί.

Parum adhuc medicinae allatum esse quis non videt? neque enim ad quem de Selymbriis litterae datae essent, neque quo fuissent numero eruere nobis contigit. Quid tamen si ex uno lemmate per errorem duo effecta sunt, posterior vero vox ἐπιστολαί satis inepte hoc loco inserta compendio male a librariis intellecto originem debet, ε litterae nimirum, quae re vera πέντε significaverit? Quae si ita fuerunt, locus totus hunc ad modum constituendus est:

Ἐπιστολαί.
πρὸς Φίλιππον 〈περὶ〉 Σηλυμβρίων $\bar{\varepsilon}$[πιστολαί]
πρὸς Ἀλέξανδρον $\bar{\delta}$ [ἐπιστολαί]
κτλ.

In lemmate secundo item expungenda est vox ἐπιστολαί, quae manifesto e praecedenti Σηλυμβρίων ἐπιστολαί huc irrepsit. Restat, ut explicemus, qua re factum sit, ut epistulae ad Philippum regem de Selymbriis tam sint multae, ut primum in Hermippeo indice obtineant locum. Ad eam quaestionem solvendam non inutilis est mentio quaedam vitarum Aristotelis Neoplatonicarum, quae per Ptolemaeum Chennum ad Andronicum redeant fontem[11]: dicitur in eis Aristoteles multa beneficia hominibus suae aetatis tribuisse, tam privatis quam totis civitatibus, cuius rei testimonia exstent litterae eius ad reges datae: ὅσα μὲν γὰρ ἕκαστον εὐηργέτησεν, αἱ γεγραμμέναι αὐτῷ κατὰ τοὺς βασιλέας περί τινων ἐπιστολαὶ δηλοῦσι... πολλὰ δὲ καὶ Ἀθηναίους

---

[10] In commentario in Diogenem Laërtium 1693; nunc habes eam apud A. Westermann, *Vitarum scriptores Graeci minores*, Brunsvigae 1845, 401—405; ad calcem editionis Didotianae Diogenis Laërtii 12—14; apud V. Rose in *Apistotelis fragmentis*, Lipsiae 1886, 9—18.

[11] M. Plezia, *De Andronici Rhodii studiis Aristotelicis*, Kraków 1946, 2—6.

'Επιστολαί.
πρὸς Φίλιππον ⟨περὶ? ὑπὲρ⟩ Σηλυμβρίων ε̄
πρὸς 'Αλέξανδρον δ̄
πρὸς 'Αντίπατρον δ̄
πρὸς Μέντορα ᾱ
πρὸς 'Αρίστωνα ᾱ
πρὸς 'Ολυμπιάδα ᾱ
πρὸς 'Ηφαιστίωνα ᾱ
πρὸς Θεμισταγόραν ᾱ
πρὸς Φιλόξενον ᾱ
πρὸς Δημόκριτον ᾱ

II

Notae igitur erant Alexandreae Hermippi temporibus (III/II saec. a. Chr. n.) Aristotelis epistulae viginti; de editione tamen earum Alexandrina nulla ad nos notitia pervenit neque ulla eius mentio apud Diogenem Laërtium invenitur. Quam editionem primum, ut videtur, ab Artemone quodam comparatam esse auctor est Ps.-Demetrius *de interpret.* § 223 ('Αρτέμων μὲν οὖν ὁ τὰς 'Αριστοτέλους ἀναγράψας ἐπιστολάς). Eandem editionem novit Ptolemaeus Chennus, qui vergente I p. Chr. n. saec. floruit atque Andronici Rhodii πίνακας τῶν 'Αριστοτέλους βιβλίων in brevius redegit[14]; duas enim Aristotelis epistularum syllogas commemorat[15];

ἐπιστολαί, ἃς συνέλεξεν 'Αρτέμων ἐν βιβλίοις η̄
ἐπιστολαὶ ἄλλαι, ἃς εὗρεν 'Ανδρόνικος ἐν βιβλίοις κ̄.

Ex eodem Ptolemaeo profluxerunt, quae hodie leguntur apud Olympiodorum *in Categorias* (Comment. in Arist. Graeca XII 1, p. 6, 12): ἐπιστολαί, ἅστινας 'Ανδρόνικός τε καὶ 'Αρτέμων συνήγαγον atque apud Eliam *in Categorias* (ib. XVIII 1, p. 113,25): ἐπιστολαί... ἃς ἐν ὀκτὼ βιβλίοις συνήγαγεν 'Αρτέμων τις μετὰ 'Αριστοτέλην γενόμενος. Quibus testimoniis seductus ipse ante paucos annos erravi constituique duo epistularum Aristotelearum corpora, unum ab Artemone confectum libris octo, alterum ab Andronico libris viginti, I p. Chr. n. saec. exstitisse[16].

[14] *De Andronici studiis*, l. c.

[15] Ptolemaei verba ita rettuli, ut ab Antonio Baumstark *op. c.* 104 ex Arabicis excerptis restituta sunt; Arabes ipsos habes apud eundem p. 70, nr 86 et 88 = 99a et 101a. Collatis tamen iis, quae infra in textu ex Olympiodoro Eliaque laudata sunt, scribendum videtur potius: ἃς συνήγαγεν 'Αρτέμων. Cf. etiam Przychocki, *Historia listów św. Grzegorza z Nazjanzu*, Kraków 1946 (Rozprawy wydz. filol. PAU, LXVII nr 3), p. 5.

[16] *De Andronici studiis* 32.

εὐηργέτησεν ἐν τοῖς κατὰ Φίλιππον γράμμασιν κτλ[12]. De eius modi litteris commendatoriis etiam nostro loco agi puto, eo fortasse tempore scriptis, cum Selymbrii a Philippo rege obsidebantur (qua de re cf. Demosthenem *de corona* 77—78)[13], vel post urbem captam, cum victis gratia regis praecipue opus esset.

Sed ad indicem ipsum reverti placet, e quo nondum omnia menda sustulimus. Habes enim post epistulas ad Philippum et Alexandrum datas epistulas alias ad Antipatrum numero novem ($\overline{\vartheta}$), id quod item consuetudini in eius modi indicibus religiose observatae, ne maiores nimirum numeri minoribus succedant, repugnat. Conferas tantum, quaeso, eiusdem indicis partem priorem, ubi Aristotelis dialogi recensentur secundum librorum numerum dispositi (Diog. Laërt. V 22):

περὶ δικαιοσύνης ᾱ $\overline{\beta}$ $\overline{\gamma}$ $\overline{\delta}$
περὶ ποιητῶν ᾱ $\overline{\beta}$ $\overline{\gamma}$
περὶ φιλοσοφίας ᾱ $\overline{\beta}$ $\overline{\gamma}$
περὶ πολιτικοῦ ᾱ $\overline{\beta}$
περὶ ῥητορικῆς ἢ Γρύλλος ᾱ

sequuntur ceteri dialogi quattuordecim, singulis libris constantes. Quae cum ita sint, ne nostro quidem loco ordinem turbatum esse arbitror idque eo magis, quod si novem epistulas ad Antipatrum retinere vellemus, summa efficeretur viginti quinque (5+4+9+1+1+1+1+1+1+1), quae cum altera illa indicis recensione (ἐπιστολαὶ $\overline{\kappa}$) minime congruit. Neque id animadversione videtur indignum, quod in numeris epistularum ad Antipatrum atque ad Mentorem tradendis codices inter se discrepant, qua re facilius adducimur ut credamus hoc quidem loco mendum aliquod latitare.

Sufficit tamen, ut legamus $\overline{\delta}$ pro $\overline{\vartheta}$, quae lectio et numerorum ordine et litterarum ipsarum similitudine commendari videtur, ut omnibus difficultatibus expediamur atque numerum illum viginti epistularum (5+4+4+1+1+1+1+1+1+1) ab anonymo Menagii traditum recuperemus. Totus igitur Aristotelis epistularum index hoc fere modo conformandus est:

---

[12] *Vita* quae vocatur *Marciana* p. 430,1 sqq. 13 sqq. Rose; *Vita Ps.-Ammoniana* p. 439,18 sqq. R.; *Vita Latina* p. 445,6 sqq. 446,1 sqq. R.; cf. etiam Ibn Abi Usaibi'a ap. Baumstark, *op. cit.* 46: *welches Bestreben, den Menschen wohl zu tun, ihm eigen war, erhellt aus seinem Sendschreiben...*

[13] De eius loci auctoritate dubitat Oberhummer, RE II A 1236.

Quid tamen? Adeo-ne amplissima illa corpora deperierunt, ut ex viginti epistularum libris tam exigua tamque pauca ad nos pervenerint fragmenta? Parum probabile videtur. Quid? habemus-ne inter Ciceronis epistulas syllogen ullam tantam, quae viginti libris constet? Si vero IV saec. scriptores respicis, Platonis, Isocratis, Lysiae epistulas, veras sive falsas, non nisi paucas editas esse minime ignoras. Adde quod Gregorius Nazianzenus, ultimus omnium, quos novimus, qui earum epistularum editionem manibus tenebat, libellum eam nominavit dicens (*ep.* 234, Migne PG XXXVII 377a): τὸ πτυκτίον, ὅπερ εἴληφας παρ' ἡμῶν, τὰς 'Αριστοτέλους ἐπιστολάς... Ita-ne syllogen viginti vel octo quidem librorum appellaverit? Neutiquam. Unde denique, quaeso, tanta illarum epistularum seges secundo ac primo a. Chr. n. saec. effloruisset, quarum tertio et id quidem Alexandreae viginti tantum notae erant?

Nihil igitur causae est, cur infimae antiquitatis scriptoribus, qui vix umquam Aristotelis epistulas vidisse habendi sunt, fidem tribuamus, quin immo errori eorum adscribendum puto, quod de viginti vel octo libris earum epistularum dicunt, quas ipsas viginti octo-ve fuisse pro certo credi potest. Pari modo de Ciceronis epistulis deperditis actum esse luculenter ostendit nuper Hieronymus Carcopino[17], quarum cum ampla illa corpora apud Nonnium ceterosque grammaticos laudantur, de paucis tantum epistulis cogitandum est. Quae cum ita sint equidem persuasum habeo haec de Aristotelis epistulis tradita esse a Ptolemaeo:

ἐπιστολαί, ἃς συνήγαγεν 'Αρτέμων, $\overline{\eta}$
ἐπιστολαὶ ἄλλαι, ἃς ἀνεῦρεν 'Ανδρόνικος, $\overline{\kappa}$.

III

De Artemonis aetate duae sunt inter doctos sententiae: alii pro grammatico illo eum habere volunt Cassandrea oriundo, qui II a. Chr. n. saec. floruit[18], alii Aristotelis discipulum dicunt, Theophrasti aequalem[19]. Inter utrosque tamen constat praemissam esse ab eo editioni epistularum Stagiritis commentationem quandam, qua de elocutionis epistolaris indole atque natura diputaret. Quae res quo modo se habuerit, videamus.

De Artemone epistolicae artis auctore opinio solis Ps.-Demetrii verbis nititur, definitionem epistulae ab eo prolatam laudantis (§ 223:

---

[17] *Les secrets de la correspondance de Cicéron*, Paris 1947, II 406 sqq. Cf. etiam nostram eius libri censuram Eos XLIII 1948—49, 136.

[18] Sykutris *l. c.* atque priores vulgo.

[19] Meyer, *l. c.*; Przychocki, *De Gregorii epistulis* 251.

'Αρτέμων μὲν οὖν ὁ τὰς 'Αριστοτέλους ἀναγράψας ἐπιστολάς φησιν, ὅτι δεῖ τῷ αὐτῷ τρόπῳ διάλογόν τε γράφειν καὶ ἐπιστολάς. εἶναι γὰρ τὴν ἐπιστολὴν οἷον τὸ ἕτερον μέρος τοῦ διαλόγου). **Eiusdem artis epistularum scribendarum vestigia Przychocki[20] apud infimae aetatis Aristotelis interpretes deprehendit. Fieri sane potuit, ut illi volunt, ut Artemo primus eius modi artem conscripserit; atqui unde colligant editioni epistularum Aristotelis eam praemissam esse, fugere me minime infitior neque scio, quis eam rem argumentis confirmare possit. Pervenerunt quidem ad nos non pauca antiquarum epistularum corpora: indicetur, velim, vel unum eius modi praefatione ornatum. Nullae putantur ante Aristotelem illustris alicuius viri epistulae in lucem editae atque vulgatae: quo modo fieri vis, ut credam primas omnium eo consilio publici iuris factas esse, ut tirones recte scribendi nescii exemplar haberent, quod imitarentur, vel ut regulae quaedam condendarum epistularum auctoritate earum confirmarentur? Artemoni tribuitur sententia, quam legimus apud Ps.-Demetrium § 230: 'Αριστοτέλης... ὃς μάλιστα ἐπιτετευχέναι δοκεῖ τοῦ ἐπιστολικοῦ; quam scriptam esse eo demum tempore, cum plures variorum auctorum epistulae editae inter se comparari potuerunt, quis non videt?**

Ut aperte iam profitear, quid sentiam, libens concedo Peripateticam doctrinam epistularum scribendarum apud Ps.-Demetrium §§ 223—235 subesse; immo si quis contenderit auctorem eius fuisse Artemona non magno opere recusabo, modo ne dicat in praefatione primae Aristotelis epistularum editionis eam expositam esse. Verae enim epistulae, gravissima vitae scribentis documenta, si aliquando in vulgus eduntur, auctori suo laudi vel vituperationi esse debent, deinde demum ut litterarum genus leguntur et aestimantur. Eandem etiam sortem fuisse suspicor Aristotelis epistularum exeunte IV a. Chr. n. saeculo.

Postquam anno 307 Cassander Athenis cedere coactus est atque urbs in Demetrii Poliorcetae potestatem devenit, prima popularium partium ira Macedonum fautoribus non pepercit. Ita factum est, ut Theophrastus ceterique Peripatetici in exilium pellerentur. Mutatis tamen mox inconstantis vulgi animis Philo quidam, olim Aristotelis familiaris (Athen. XIII p. 610 ef) Sophoclem, qui legem illam de philosophis pertulerat, παρανόμων accusavit effecitque, ut lex ipsa abrogaretur, Sophocles vero multam solveret (quibus de rebus legas Athen. *l. l.*, Diog. Laërt. V 38, Pollucem IX 42). Sophocli accusato patronus in causa astitit Democharides, qui orationem vehementissimam in philo-

[20] *Op. c.* 251.

sophos habuit[21], cuius fragmentum ad Aristotelem spectans (fr. 2 B—S. = Euseb. *Praep. ev.* XV 2,6) totum afferre non inutile videtur: τὴν μὲν γὰρ Δημοχάρους κατηγορίαν κατὰ τῶν φιλοσόφων τί χρὴ λέγειν; οὐ γὰρ Ἀριστοτέλην μόνον ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους κακῶς εἴρηκεν... λέγει γὰρ ἐπιστολὰς Ἀριστοτέλους ἁλῶναι κατὰ τῆς πόλεως τῶν Ἀθηναίων καὶ Στάγειρα τὴν πατρίδα προδοῦναι τοῖς Μακέδοσιν αὐτόν. ἔτι δὲ κατασκαφείσης τῆς Ὀλύνθου μηνύειν ἐπὶ τοῦ λαφυροπολίου Φιλίππῳ τοὺς πλουσιωτάτους τῶν Ὀλυνθίων. Prima haec est omnium de Aristotelis epistulis mentionum, utpote quae in annum 307/6 cadat, quamquam nemini dubium est, quin de suppositis litteris agatur. Utrum epistulas istas Democharis pro iudicibus legere iusserit, ut saepe oratoribus Atheniensibus mos fuit, an argumentum earum solum rettulerit, ignoratur; attamen fieri non potuit, quin Peripatetici ad accusationem tantam nihil responderent. Ea occasione primum veras Stagiritis epistulas in vulgus editas esse puto ab ipsis eius discipulis successoribusque, quorum res pari modo in hac causa ageretur, eo scilicet consilio, ut inimicorum calumniis fides abrogaretur, Aristotelis vero in Graecos beneficia in lucem famamque proveherentur. Exemplaria earum epistularum ad hanc editionem suppeditavit certe Theophrastus, cui magister omnes libros suos commentariosque reliquisset, editionem vero conficiendam curavit Artemo ille, qui alias de elocutione epistolari scripsit (id quod apud Peripateticum e Theophrasti schola nemini mirum videbitur) atque in commentatione illa exemplis ex Aristotelis epistulis sumptis fortasse usus est.

Verum enimvero etiam in iis illarum epistularum fragmentis, quae apud Ps.-Demetrium exstant ex Artemonis συναγωγῇ petita, clare conspicitur, quibus de rebus Aristoteli ibi sermo fuerit. § 225 dicitur philosophus Antipatro ita de sene quodam exule scripsisse: εἰ δὲ πρὸς ἁπάσας οἴχεται γᾶς ὁ φυγὰς οὗτος, ὥστε μὴ κατάγειν, δῆλον ὡς τοῖς γε εἰς Ἅιδου κατελθεῖν βουλομένοις οὐδεὶς φθόνος (fr. 665 Rose). § 233 vero διδάξαι βουλόμενος ὅτι ὁμοίως χρὴ εὐεργετεῖν τὰς μεγάλας πόλεις καὶ τὰς μικράς, φησίν. οἱ γὰρ θεοὶ ἐν ἀμφοτέραις ἴσοι, ὥστ' ἐπεὶ αἱ χάριτες θεαί, ἴσαι ἀποκείσονταί σοι παρ' ἀμφοτέραις, quae verba ad Alexandrum scripta esse recte coniecit Rose (fr. 656). Iam haec suf-

---

[21] Fragmenta, quae tria exstant, leguntur apud Baiter-Saupe, *Oratores Attici* II 341 sqq., cf. Blass, *Attische Beredsamkeit* III 2, 307. Ad rem cf. Wilamowitz, *Antigonos v. Karystos* 270 sqq; E. Derenne, *Les procès d'impiété intentés aux philosophes à Athènes au V^e^ et IV^e^ s.*, Liège 1930, 199—201; Glotz-Roussel-Cohen, *Histoire grecque* IV 1, Paris 1938, 329 sqq; O. Regenbogen, *Theophrastos* RE VII S 1359 sq.

ficiunt, ut probetur commendatorias eas fuisse epistulas, de quibus etiam vitae Aristotelis (ex Andronico) mentionem faciunt[22].

Quae cum ita sint, recte iudicasse videntur Meyer et Przychocki, qui Artemona exeunte IV a. Chr. n. saec. floruisse statuerunt[23]. Cum Cassandreo enim illo noster nihil praeter nomen commune habet, idemque apud Graecos satis commune[24]; at contra ille de re libraria atque de Pindaro scripsisse[25] dicitur: quid ista ad Aristotelem? Parum denique probabile mihi quidem videtur grammaticum II a. Chr. n. saeculi nullam duxisse rationem Hermippei indicis librorum Aristoteliorum vel e viginti epistulis ibidem recensitis octo tantum elegisse, quas ederet; quin immo veri similius est exiguam illam octo epistularum syllogen Hermippo eiusque indice aetate fuisse priorem.

Artemo ille quantum ad artem epistolarem conformandam valuerit, parum mihi perspectum esse minime infitior. Scripsit quidem iis de rebus, ut ex Ps.-Demetrii testimonio supra laudato[26] tuto concludere licet; fecerit-ne id tamen in peculiari quadam dissertatione, an alicubi quasi praeteriens, decernere vix ausim. Id enim fieri non potest, quin sententiam illam de Aristotele epistularum scriptore elegantissimo (Ps.-Demetrius § 230) ei tribuamus, quippe quae ceteris demum cognitis eius generis scriptoribus (Epicuro, Platone, aliis) prolata esse potuerit. Quam opinionem multo clarius expressit Simplicius *in Categorias* (Comm. in Arist. Graeca VIII p. 7,20 sq.): οὐδέ ἐστί τις τῶν συνεγνωσμένων Ἀριστοτέλει περὶ τὸν ἐπιστολικὸν χαρακτῆρα προσόμοιος. Συνεγνωσμένους vero appellari solitos auctores in scholis lectitatos nemo ignorat. Neque id a re alienum esse duco, quod proprias epistularum condendarum artes primas novimus I p. Chr. n. saec. (Ps.-Dionysii Τύπους ἐπιστολικούς dico), cum Ps.-Demetrius etiam *de elocutione* disputans caput tantum unum idque dum de tenui dicendi genere agit, quaestionibus quae ad epistulas spectant explicandis destinaverit.

Lublini

---

[22] Cf. supra adn. 12.
[23] Cf. supra adn. 19.
[24] Viginti septem eius nominis viros enumerat RE II s. v.
[25] Wentzel, *Artemon* 18, RE II.
[26] Cf. p. 82 n.

DE HERODIANI CLAUSULIS METRICIS

Scripsit
HANNA SZELEST

Cum Herodiani *Historiam* nuper perlegerem, dicreticum in confiniis sententiarum creberrime deprehendi observavi. Qua observatione facta adducta sum, ut quaestionem rhythmicam apud Herodianum investigandam mihi proponerem. Etsi enim E. Norden[1], cuius opinionem postea St. Skimina[2] amplexus est, Marci Aurelii orationem[3], quae in Herodiani opere legitur, perscrutatus est eamque rhytmicam esse contendit, fragmentum tamen hoc nimis parvum nobis videtur, quam ut quaestio, utrum Herodianus rhytmicis auctoribus adnumerandus sit necne, solvi possit. Quae cum ita sint, non supervacaneum esse puto in dissertatione mea de re hac uberius tractare.

Cum exitus sententiarum apud Herodianum diligentius perscrutamur atque cum sermone naturali componimus, scriptorem nostrum clausulis metricis usum esse facile animadvertimus. In enuntiatorum enim confiniis genera aliquot discernuntur, quorum centesimae maxime ab eis discrepant, quae in oratione arhythmica deprehenduntur.

Ut scriptoris nostri rhythmi imago perfecta esset, mille clausulas ante pausas graviores, 400 ante pausas leviores examinavimus atque una ex parte cum oratione scriptorum, qui a W. H. Shevring[4] arhythmici dicuntur, altera autem ex parte cum G. Pachymeris (scriptoris Byzantini, qui XIII/XIV saec. viguit eaque de causa rhythmicus haberi non potest) genere dicendi comparavimus. Quod autem investigatione effectum erat, tabulis allatis illustravimus (tab. I). Priusquam tamen ad singula clausularum genera pertractanda accedamus, addamus necesse est in tabula I ea sententiarum confinia esse omissa, quae $1^0/_0$ non excedant. Atque e tab. I satis quidem elucet apud scriptorem nostrum cum ante pausas graviores tum ante leviores tres clausularum typos discerni posse. Sunt enim sententiarum exitus, qui auctori nostro praecipue cordi fuerint, sunt, quos in odio habuerit, sunt denique, quos neque appetiverit neque evitaverit. Quae cum ita sint, imprimis ad clausularum formas maxime ab Herodiano appetitas transeamus. Huc pertinent: 1) clausula $- \breve{} - - \breve{}$ (νόμων ἐπιστήμης), quae apud Herodianum in Cl $13{,}1^0/_0$ in cl. $12{,}5^0/_0$,

---

[1] E. Norden, *Die antike Kunstprosa*, I, Leipzig 1898, p. 397 n. 4.

[2] St. Skimina, *Etat actuel des études sur le rythme de la prose grecque* I, Cracoviae 1937, p. 191.

[3] Herodianus, *Ab excessu divi Marci* I 5,3 sqq. (ed. Stavenhagen, Leipzig 1922).

[4] A. St. Skimina, *l. l.* p. 38.

in oratione arhythmica 9,4%, apud Pachymerem 8,1% assequitur. 2) Dicreticus — ∪ — — ∪ ⏑ ⏓ (ὑπόσχοντα τιμωρίαν), qui in sermone naturali 2,6%, apud Pachymerem 2,6% apud scriptorem nostrum autem 8,3% obtinet. 3) Clausula logaoedica — ∪ ∪ — ∪ ⏑ ⏓ (καὶ φοβερώτερος), quae cum in oratione dissoluta 2,1%, apud Pachymerem 1,7% expleat, apud Herodianum ad 7,3% accrescit. Qua ex comparatione facile cognoscimus Herodiano dicreticum atque clausulam quae dicitur logaoedica praeter modum cordi fuisse. Etsi enim creticus auctus trochaeo maximam omnium centesimarum partem obtinet, differentia tamen, quae inter clausulam hanc atque orationem dissolutam intercedit, multo minor est eo discrimine, quod inter clausulas — ∪ — — ∪ ⏑ ⏓ et — ∪ ∪ — ∪ ⏑ ⏓ atque sermonem naturalem apparet.

Nunc ad confinia sententiarum a scriptore nostro evitata transeamus. Si centesimarum numerum, quem clausula heroica — ∪ ∪ — ⏑ ⏓ (αὐλῆς ἀπέπεμψε) apud Herodianum efficit, cum eodem numero in oratione arhythmica componimus, formam hanc ab auctore diligentissime evitatam esse facile cernimus (or. ar. 7,9%, Pach. 7,9%). Dispondeus — — — ⏑ ⏓ (ἐσκευάσθαι) apud Herodianum in Cl 9,6%, in cl 7,2%, in oratione autem dissoluta 18,8%, apud Pach. 15,1% explet. Qui numeri optime opinionem nostram comprobant auctorem operam dedisse, ut dispondeum effugeret.

Quibus expositis restat, ut breviter etiam de eis sententiarum confiniis dicamus, quae cum in sermone naturali tum apud Herodianum raro cernuntur. Hic enumerandae sunt clausulae, quae sequuntur:

1. — ∪ — ⏑ ⏓ ditrochaeus apud historicum nostrum eundem centesimarum numerum atque in oratione arhythmica explet: Cl 12,9% cl 12,8 or. ar. 14,2 Pach. 13,4%

2. ∪ ∪ ∪ — ⏑ ⏓ Cl 3,9 cl 3,0 2,5

3. ∪ ∪ ∪ — — ⏑ ⏓ Cl 3,3 cl 3,2 or. ar. 3,1 2,3

4. — ∪ ∪ ∪ — ⏑ ⏓ Cl 4,5 cl 3,5 or. ar. 3,5 3,0

5. — — — — ∪ ⏑ ⏓ Cl 5,6 cl 4,5 or. ar. 3,4 3,8

Cum de clausula hac dicimus, operae pretium est commemorare molossum cum cretico iunctum apud Herodianum paulo saepius quam in sermone naturali deprehendi, ut e numeris allatis satis apparet.

6. ∪ ∪ ∪ — — ∪ ⏑ ⏓ Cl 2,0 cl 1,0 Pach. 0,7%

7. — ∪ ∪ ∪ — ∪ ⏑ ⏓ Cl 1,3 cl 3,7 Pach. 1,0

8. — — — ∪ ∪ ∪ ⏑ ⏓ Cl 1,6 cl 2,7 Pach. 1,4

9. — ◡ ◡ — — ◡ ⏑	Cl	2,7%	cl	3,2%		Pach.	1,2%
10. — ◡ ◡ — — ⏑	Cl	3,8	cl	5,2	or. ar. 5,1	Pach.	4,9
11. — ◡ — ◡ ⏑	Cl	3,4	cl	5,3	or. ar. 5,1	Pach.	6,4
12. — — — ◡ ⏑	Cl	3,8	cl	4,0		Pach.	2,7
13. — — ◡ ◡ ◡ ⏑	Cl	1,4	cl	1,0		Pach.	2,0

In hoc clausularum conspectu ea sententiarum confinia praetermisi, quae, ut iam supra dixi, 1,0% non excedunt. Quae genera summatim 7,8% explent.

Herodiani oratione cum sermone naturali comparata auctoris nostri rhythmum cum rhythmo scriptorum hellenistici qui dicuntur componamus necesse est. Animum imprimis ad clausulas advertamus eas, quas Herodianus maxime in deliciis habuit, i. e. ad dicreticum atque clausulam logaoedicam. Quamquam omnes fere prosae hellenisticae scriptores usi sunt duobus his typis, attamen maximum centesimarum numerum explent hae formae apud Charitonem, Polemonem atque in nonnullis Luciani dialogis, ut ex exemplis prolatis elucet[5]:

— ◡ — — ◡ ⏑	Her. Cl 8,3%	cl	Char. 7,2%	Lucianus 4,7—11,6%	
— ◡ ◡ — ◡ ⏑	Her. Cl 7,3	cl	Char. 5,9	Lucianus 3—6,8%,	Pol. 11%
— ◡ — — ⏑	Her. Cl 13,1	cl 12,1%	Char. 17,6%		

Altera ex parte eadem sententiarum confinia ab Herodiano atque ab aetatis hellenisticae auctoribus evitantur: clausulam heroicam et dispondeum[6] dico:

— ◡ ◡ — ⏑	Her. Cl 3,7%	cl 4,2%,	Plut. 4,7%	Char. 2,0	Pol. 1,7%	
— — — ⏑	Her. Cl 9,6	cl 7,2	Plut. 7,8	Char. 3,0		

Quae observationes non solum opinionem nostram, qua censemus Herodianum clausulis metricis usum esse, corroborant, sed etiam docent historicum nostrum in clausularum usu ad Charitonem, Polemonem, Lucianum proxime accedere.

Nunc ad vocabulorum etiam typologiam animum advertamus necesse est, quaestio enim haec in rhythmo uniuscuiusque scriptoris indagando maximi est momenti. Pervestigare igitur temptabimus, quomodo res apud Herodianum sese habeat. Vocabula monosyllaba in enuntiatorum exitibus apud scriptorem nostrum rarissime cernuntur, cum in clausulis 0,5%,

---

[5] St. Skimina, *l. l.* p. 163—165, 189, 178.

[6] St. Skimina, *l. l.* p. 163, 165, 173.

in contextu 3,2% expleant. Quae res nemini sane mira videbitur, qui memoria tenuerit rationem hanc naturali sermonis Graeci structurae respondere. Si autem voces polysyllabas in calculos vocamus, primo obtutu perspicimus Herodianum alia vocabulorum genera in clausulis, alia autem in contextu libentissime usurpavisse. Quo melius quaestio illustraretur, tabulam adiecimus, quae sequitur:

Tabula I

Cl	% Cl	% cl	or. ar.	Pach.
– ⏑ – ⏓	12,9	12,7	14,2	13,4
⏑ ⏑ ⏑ – ⏓	3,9	3,0		2,5
– ⏑ – – ⏓	13,1	12,5	9,4	8,1
⏑ ⏑ ⏑ – – ⏓	3,3	3,25	3,1	2,3
– ⏑ ⏑ ⏑ – ⏓	4,5	3,5	3,5	3,0
– ⏑ – – ⏑ ⏓	8,3	7,75	2,6	2,6
– – – – ⏑ ⏓	5,6	4,5	3,4	3,8
– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓	7,3	6,75	2,1	1,7
– – – ⏓	9,6	7,25	18,8	15,1
– ⏑ ⏑ – ⏓	3,7	4,25	7,9	7,9
⏑ ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏓	2,0	1,0		0,7
– ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓	1,3	2,75		1,0
– – – ⏑ ⏑ ⏑ ⏓	1,6	2,75		1,4
– ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏓	2,7	3,25	1,1	1,2
– ⏑ ⏑ – – ⏑	3,8	5,25	3,2	4,9
– ⏑ – ⏑ ⏓	3,4	5,25	5,1	6,4
– – – ⏑ ⏓	3,8	4,0		2,7
– – ⏑ ⏑ ⏑ ⏓	1,4	1,0		2,0
ceteri	7,8			

Quibus ex exemplis plane elucet Herodianum id potissimum egisse, ut in confiniis sententiarum quadrisyllaba vocabula poneret, quae in clausulis 30,0%, in contextu 23,4% explent. Quam rem ideo adnotatione dignam esse censemus, quod pauci inveniuntur auctores rhythmici, qui quadrisyllabas voces in enuntiatorum confiniis usurpent. Maxima enim ex parte vocabula trisyllaba ab eis sunt adhibita.

Cum autem pentesyllaba vocabula perlustramus et numeros infra allatos (tab. II) oculis percurrimus, nulli dubitationi obnoxium fit, quin Herodianus in sententiarum confiniis consulto pentesyllabis vocibus usus sit, quae in contextu 7,4%, in clausulis autem 21,6% assequuntur. Vo-

cabula, quae plus quam quinque continent sylabas, neque in clausulis neque in contextu nisi perraro cernuntur; quae ratio ab oratione dissoluta nihil abhorret. Quibus exemplis adducimur, ut credamus Herodianum praeter quadrisyllabas voces pentesyllabas etiam in deliciis habuisse atque consulto adhibuisse.

Tabula II

	Cl	T
vocabula monosyllaba	0,5%	3,2%
,, disyllaba	17,7	33,4
,, trisyllaba	27,7	30,4
,, quadrisyllaba	30,2	23,4
,, pentesyllaba	21,6	7,4
,, polysyllaba	3,3	2,4

Sequitur, ut in vocabula a scriptore nostro praecipue usitata inquiramus atque consideremus, quosnam vocum quadrisyllabarum typos praecipue adamaverit. Itaque conspectum adicimus, quo res melius illustretur:

Tabula III

Typi	%	
1. ⏑ — — ⏑	5,1	ἐμιμεῖτο
⏑ — — —	3,8	ἐπιστήμης
2. ⏑ ⏑ — ⏑	2,9	ἐγένοντο
⏑ ⏑ — —	1,1	γεγενῆσθαι
3. — — ⏑ ⏑	2,2	μιμούμενον
— — ⏑ —	2,3	ἠρημένου
4. ⏑ — ⏑ ⏑	1,8	ἑκάστοτε
⏑ — ⏑ —	1,7	ἀνηρέθη
5. ⏑ ⏑ ⏑ ⏑	1,5	πολέμιον
⏑ ⏑ ⏑ —	2,8	διαδοχή
6. — ⏑ — ⏑	0,9	ἠθέλησεν
— ⏑ — —	1,2	εὑρεθῆναι
7. — — — ⏑	1,3	ἠπείγοντο
— — — —	0,9	ἐσκευάσθαι
ceteri	2,8	

Cum tabulam III accuratius investigamus, nullam fere dubitationem relinqui arbitramur, quin vocabula ⏑ — — ⏑ apud Herodianum creberrime cernantur (5,1%). Secundum autem et tertium locum typi occupant hi: ⏑ — — — et ⏑ ⏑ — ⏑ (3,8%, 2,9%).

Ut ad finem observationum nostrarum properemus, operae quoque pretium est investigare, quot syllabis clausulae Herodianeae saepissime

contineantur. Qua re diligentius perpensa videmus creberrimas esse clausulas e sex, quinque aut quattuor syllabis constantes. Maxima autem ex parte vocabulum ultimum tri-, quadri- aut pentesyllabum atque antecedentis vocis ultima syllaba clausulam efficiunt. Opinionem hanc numeri, qui sequuntur, optime confirmant:

1. θρηνεῖν προσεποιεῖτο	13,3%	8. ἔνδον ὄντος	3,6%
2. αὐτοῖς ἀπόκτεινον	13,5	9. ἀχάριστον ὀνομάζεται	1,9
3. ἑστῶτες μάχοιντο	9,1	10. μητέρα ἠπείγετο	1,4
4. ἐβασίλευσεν	3,0	11. ἐγκεχειρισμένος	1,2
5. ἀντικαταλλάσσονται	7,8	12. ἀναχωροῦντες	2,9
6. Ἀντωνῖνος ἀνῃρέθη	6,4	13. ἀντιποιήσει	1,2
7. ἐπίδωσιν ἑαυτόν	4,7	14. εἰσόδους αὐτοῦ	1,1

Quibus omnibus plane expositis statuamus necesse est, quid in universum de rhythmo apud Herodianum dici possit:

1. Herodianum clausulis metricis usum esse, earumque formas $- \breve{} - - \breve{} \bar{-}$, $- \breve{} \breve{} - \breve{} \bar{-}$ et $- \breve{} - - \bar{-}$ praeter modum in deliciis habuisse.

2. Dispondeum atque clausulam heroicam, quae dicitur, diligentissime ab eo esse evitatam.

3. In sententiarum confiniis vocabula quadrisyllaba creberrime obvenire, secundum locum pentesyllaba tenere.

Varsaviae

DE POLYMETRIS SENECAE CANTICIS QUAESTIONES

Scripsit
LADISLAUS STRZELECKI

Inter omnes constat in Senecae tragoediis recensendis cum duabus rem esse codicum familiis, quarum unam repraesentet potissimum ille codex Etruscus (E), alteram vero aliquot codices, quos docti recensionem interpolatam vel vulgarem (A) nuncupare consueverunt. Ac cum non uno nomine referret scire, quaenam ratio inter utramque intercedere videretur classem, Leo, vir doctissimus, Etrusci lectiones summa excussit diligentia[1] earumque praestantiam cum A recensionis lectionibus comparatam laudibus summis in caelum extulit atque eo progressus est, ut sententiam proferret hanc: *haec ostendunt, ne in eis quidem quae corrupte Etruscus praebet ullam esse vulgaris lectionis auctoritatem; Etrusci igitur corruptelas utique emendandas, nusquam recipiendas esse interpolatoris coniecturas, nisi aut verum ab illo inventum esse... aut Etrusci scripturam post interpolatoris operam vitium traxisse certa ratione constiterit*[2]. Quo factum est, ut non solum Leo[3], sed etiam alii Senecae fabularum editores — Leonem scilicet secuti — Etruscum pro unico praecipuoque editionis fundamento haberent ullamque fere vulgaris recensionis auctoritatem negarent esse. Quae quidem opinio sic praevaluit, ut vulgo pro certissima haberetur, etsi non deerant docti, qui recensioni A aliquid tribuendum esse censerent. Nostra demum memoria Gunnar Carlsson disputationem foras edidit[4], qua de interpolatae recensionis virtutibus disputare in animum induxit; qui cum scite praemonuisset, quam saepe Leo contra suam ipsius sententiam, ubi in Etrusco parum esset praesidii, „interpolatam" esset secutus recensionem[5] cumque addidisset, quid lucri editio Peipero-Richteriana inde cepisset[6], aliquot locis summa diligentia examinatis A recensionis lectionibus Etruscum interdum supe-

---

[1] *De Senecae tragoediis observationes criticae*, Berolini 1878.

[2] *l. l.*, p. 4.

[3] Audi viri doctissimi verba fabularum editioni praemissa: *constat autem... unicum constituendae lectionis universae fundamentum esse Etruscum codicem... unicum genuini tragoediarum corporis exemplar* (*L. Annaei Senecae tragoediae*, Berolini 1879, p. V).

[4] *Die Überlieferung der Seneca-Tragödien*, Lunds Universitets Årsskrift. N. F. Avd. 1, Bd. 21, Nr 5. Lund-Leipzig [1926].

[5] *l. l.*, p. 6 sq.

[6] *l. l.*, p. 7. *L. Annaei Senecae tragoediae* rec. R. Peiper et G. Richter, ed. altera, Lipsiae 1902.

rari ostendit[7] atque desiderari Senecae fabularum editionem sibi persuasit[8], qua in textu constituendo praeter Etrusci lectiones „interpolatae" recensioni debitus daretur locus honorque[9]. Atque haec quidem praemonenda putavi, quo facilius appareret non licere temere solo Etrusco codice velut fundamento niti, immo concedendum esse aliquid „interpolatae" recensioni atque in unaquaque re investiganda inquirendum, an in ea recensione contra Etrusci auctoritatem aliquid veri lateret[10].

Nunc ad inceptum transeo. Duae Senecae fabulae — *Oedipum* et *Agamemnomem* dico — polymetra exhibent, quae dicuntur, cantica (*Oed.* 405—415; 472—503; 709—737; *Agam.* 589—637; 808—866), quae eum in modum sunt comparata, ut singuli versus e colis colariisque sint compositi, ad Horatianorum versuum particulas saepissime redeuntibus. Satis constat Senecam metricorum, metra derivantium, praecepta in rem suam convertisse, sed quo huius doctrinae auctore Seneca sit usus, neutiquam inter doctos convenit; sunt enim, qui Varronem Caesii Bassi et Senecae communem fuisse auctorem dixerint[11], sunt, qui Senecam ipsum Bassum evolvisse contenderint[12], neque desunt, qui discrimen idque grave inter Senecam et Bassum intercedere statuant[13]. Sed utut

---

[7] Confer eiusdem viri docti disputatiunculam, quae inscribitur: *Zu Senecas Tragödien, Lesungen und Deutungen*, Bull. Soc. Roy. Lettres Lund 1928-29, III, p. 39—72.

[8] Post Richterum aliquot exstiterunt Senecae fabularum editores, hi scilicet: F. J. Miller, *Seneca's Tragedies with an English translation*, I—II, London 1916—17; H. Moricca, Corpus Script. Lat. Parav. vol. 39,45, Torino 1917—1923; L. Herrmann, *Sénèque, Tragédies*, vol. I—II, Paris, Les Belles Lettres, 1924—1926. Sed illud notatu longe dignissimum supra allatas editiones eisdem fere atque editionem Leoninam et Richterianam fundamentis niti (conf. Carlsson, *Die Überlief.* p. 76 sqq., *Zu Senecas Tragödien*, p. 39 adn. 2, praeterea Gnomon IV, 1928, p. 492—499).

[9] Audi eius verba haec: *Eine modernen Forderungen entsprechende Textgestaltung der Seneca-Tragödien bleibt folglich nach wie vor ein Desideratum* (*l. l.* 78).

[10] Haec fere sunt, quae Carlsson disputatiuncula sua assecutus rectissime dixit: *Die ganze Art unsrer Überlieferung fordert für die Herstellung eines so weit wie möglich treuen Textes gerade ein solches eklektisches Verfahren, das Leo in seiner Überzeugung von der Zuverlässigkeit des Etruscus sogar als pervers bezeichnet* (*Die Überlief.* p. 48).

[11] Conf. Leo, *De Sen. trag. observ.* p. 132 sq. De nescioquo metrico antiquiore quam Caesius Bassus Gustavus Przychocki cogitabat, conf. *Charakterystyka tragedii rzymskiej epoki cesarstwa*, Sprawozd. Polskiej Akademii Umiejętności XXXVI, 8 p. 9; *Eine Charakteristik der römischen Tragödie im Zeitalter der Kaiserzeit*, Bulletin International de l'Académie Polonaise des Sciences et des Lettres, Classe de Philologie, Classe d'Histoire et de Philosophie, 1931 p. 212.

[12] Conf. K. Münscher, *Senecas Werke, Untersuchungen zur Abfassungszeit und Echtheit*, Philol. Suppl. XVI, 1 (1922) p. 87 sq., 101.

[13] Conf. W. Marx, *Funktion und Form der Chorlieder in den Seneca-Tragoedien*, Diss. Heidelberg 1932, p. 35 sqq.

fuit, metricorum praecepta ad illos versiculos effingendos magnam vim habuisse pro certo est accipiendum. Atque iam dudum docti sudaverunt, ut singula cola singulosque versiculos recte disponerent, qua in re indaganda alii aliam ingressi sunt viam. Sic Lucianus Mueller hac in re nihil curandum esse dixit, quonam modo versus isti in codicibus essent digesti, cum eos tragoediarum Graecarum instar ab initio continua scriptura exaratos fuisse sibi persuasisset[14]; itaque contempta codicum fide suo ipsius arbitrio cola disposuit[15] effecitque, ut longiores versus codicum auctoritate traditi saepe dissolverentur atque sola brevissima exsisterent colaria[16].

Aliter Leo: cum etiam hac in re Etruscum pro fundamento habendum esse sibi persuasisset[17], quam maxime potuit eum retinuit versiculorum ordinem eamque verborum inter singulos versus dispositionem, quae in Etrusco leguntur codice. Neque aliter ei rei consuluit is, qui nostra memoria eadem Senecae cantica tractanda susceperat — Guilelmum Marx dico[18] — qui in digerendis colis versiculisque perpaucis locis excerptis Leonem potissimum sequebatur auctorem.

Sed illud iam nunc velim admonere Leonem saepe contra Etrusci auctoritatem secundum „interpolatam" recensionem versiculorum ordinem digessisse re aut aperte dicta aut — quod saepius accidit — „A" recensionis nulla iniecta mentione[19] idemque etiam a Marxio esse factum. Exempli gratia cum versuum *Oed.* 721 sq. in Etrusco codice ordo esset hic:

quam non flexerat vomer aut tardi
iuga curva plaustri,

Leo, ut integrum Sapphicum hendecasyllabum posset efficere, sic versus digessit[20]:

quam non flexerat
vomer aut tardi iuga curva plaustri

---

[14] *De re metrica poetarum Latinorum...*[2] Petropoli et Lipsiae 1894, p. 126.

[15] Audi imprimis verba haec: *et primum quidem illud monebimus, penes nos stare digerendi versus arbitrium* (*l. l.*, p. 126).

[16] Conf. *l. l.* p. 129—136.

[17] *Obs. crit.* p. 119 sq.

[18] *l. l.*, p. 35—53.

[19] Qua disputatiuncula cum saepius de quorundam Senecae locorum loquar lectionibus, par est, ut admoneam me ipsos codices inspicere non potuisse solisque editionum publici iuris factarum — imprimis editionis Leoninae et Peipero-Richterianae — apparatibus criticis esse usum.

[20] Conf. etiam Marx, *l. l.*, p. 52.

et recte digessit[21], modo ne addere supersedisset eam esse versus 722 „interpolatae" recensionis lectionem seque nihil fecisse nisi „A" codicum recepisse scripturam.

Alterum exemplum hoc esto:

Agamemnonis versus 607—611 sic in Etrusco codice sunt digesti:

qui vultus Acherontis atri, qui Styga tristem
non tristis videt audetque vitae
ponere finem, par ille regi, par superis erit.
o quam miserum est
nescire mori[22].

Quae falso esse digesta Leo perspexit atque sic versiculos disposuit[23]:

qui vultus Acherontis atri,
qui Styga tristem non tristis videt
audetque vitae ponere finem.
par ille regi, par superis erit.
o quam miserum est nescire mori!

quae est reapse „interpolatae" recensionis lectio.

Haec exempla sufficere puto. Quae cum ita sint, non abs re fore credo, si etiam aliis locis versiculorum ordinem in A recensione obvium accuratius tractandum susceperim. Primum pauca velim dicere de *Oedipi* versibus 405—408, qui sic sunt in codicibus digesti:

E: *Lucidum caeli decus, huc ades votis*
quae tibi nobiles
Thebae, Bacche, tuae
palmis supplicibus ferunt.

A: *Lucidum caeli decus, huc ades votis*
quae tibi nobiles Thebae, Bacche, tuae
palmis supplicibus ferunt.

Illud *votis* in utraque recensione priori versui est adiunctum, quod tamen Leo, ut Glyconeum posset dimetiri, ab hoc versu abrupit atque colo *quae tibi nobiles* praemisit. Itaque e priore versu Sapphicum effecit hendecasyllabum catalecticum, qui Glyconeo Horatianorum Glyconeo-

---

[21] Est scilicet colon logaoedicum, quod pro penthemimere Sapphica forma permutata habetur (⏑ – ⏑ ∪ ⏑, conf. *Agam.* 624: *ĕxtrēmŭm dĕcŭs*, conf. Leo, *l. l.* p. 125, Marx, *l. l.* p. 43), sequente integro Sapphico hendecasyllabo.

[22] Conf. Leo, *l. l.* p. 128 sq.

[23] Conf. Marx, *l. l.* p. 42.

rum instar comparato excipitur (*votis quae tibi nobiles*), subsequitur autem Asclepiadei minoris pars prior (*Thebae Bacche tuae*), quae et ipsa Glyconeo excipitur (*pālmīs sūppliˇcibūs fe˘rūnt*)[24].

Quae recte esse digesta negaverim: nam illud *votis* codicum consensu cum versu priore coniunctum nequaquam sollicitandum videtur, cum versus ille e metro minime laboret; nam illa *lucidum caeli decus huc ades votis* duabus e partibus constare videntur, illo *lucidum caeli*, quae est Sapphica penthemimeres (⏑ – ⏑ – ⏑)[25] et colo *decus huc ades votis*, de quo paucis expedire liceat. Quod cum schemate exprimatur necesse est hoc – – ⏑ – – – –, fieri nequit, quin rem esse nobis cum Sapphici hendecasyllabi hypercatalecti parte posteriore censeamus: ac ne somnia nugasque loqui videar, idem colon etiam alio loco apud Senecam occurrere est quod addam — *Agamemnonis* dico versum 813, qui sic in A recensione traditus est:

tuus ille bis seno meruit labore.

Est scilicet colon *tŭŭs ĭllĕ bĭs sēnṓ*, quod excipitur illo *meruit labore*, Sapphici scilicet hendecasyllabi parte posteriore, neque video, cur Marxio ita hoc colarium perscribenti[26] fidem denegenus[27]. Itaque dubitari nequit, quin etiam *Oedipi* loco idem colon sit obvium. Ita igitur res tractata est, ut idem colon, quod *Agam.* 813 Sapphici hendecasyllabi posteriori est postpositum parti, *Oed.* 405 eiusdem versus priori parti praeponeretur. Quam ob rem vocula *votis* eo loco retinenda est, quo est tradita codicum consensu[28]. Superest, ut illa *quae tibi nobiles Thebae Bacche tuae* breviter tractem, quae — ut supra exposui — in A codicibus integrum efficiunt versum, in Etrusco autem inter duo cola sunt discerpta. Equidem non video, cur vulgarem lectionem sequi gravemur, cum verba ista nihil

---

[24] Conf. Leo, *l. l.* p. 120 sqq.; Marx, *l. l.* p. 48 sq.

[25] A Seneca in canticis polymetris saepius usurpata, ut puta: *Maēnădēs fāctaē*, *Oed.* 483; *ūltĭmūs rīctūs* | *sānguĭs aūrīgaē* *Agam.* 847 et quae sunt similia, conf. Leo, *l. l.* p. 123, Marx, *l. l.* p. 40.

[26] *l. l.* p. 45.

[27] Leo Etruscum secutus aliter versiculos (*l. l.* p. 130 sq.) disposuit:

imparem aequasti: tuus ille
bisseno meruit labore.

Vocibus *tuus ille* in praecedentem versum translatis Leo illa *bisseno meruit labore* pro Glyconeo hypercatalecto habuit.

[28] Iure iam L. Mueller illud *votis* cum praecedentibus coniunxit, sed eo peccavit, quod illa *lucidum caeli decus, huc ades votis* in duo separata cola divisit (*l. l.* p. 129). Conf. etiam M. Hoche, *Die Metra des Tragikers Seneca*, Halle 1862, p. 60.

sint aliud nisi versus Asclepiadeus minor, cuius cola inverso ordine sint posita: ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑. At cum constet Senecam et versu Alcaico hendecasyllabo inverso[29] et Sapphico minore inverso[30] uti consuevisse, num quis ierit infitias eum et Asclepiadeum minorem inversum admisisse[31]? Non putaverim.

Qui subsequitur versiculus *palmis supplicibus ferunt*, Glyconeus est Horatianus, qui probe in utraque recensione traditus est.

Itaque ut summam faciam atque ut in breve cogam ea, quae supra sunt exposita, *Oedipi* versus 405—408 non secundum Etruscum codicem, sed secundum vulgarem lectionem esse digerendos apparet.

Nunc iam porro progredi licet; de *Oedipi* versibus 489—490 pauca dicere volo, quos perperam esse a doctis digestos persuasum habeo. Atque illud primum te velim tenere non eodem modo versiculos istos esse in duabus codicum classibus traditos, id quod ex hac manifestum fiet comparatione:

E:	A:
tradidit thalamis	*tradidit thalamis virginem relictam*
relictam virginem,	*meliore pensans damna marito*
meliore pensans	
damnum marito	

Etrusci lectio specie proba est, re vera autem e re metrica laborat; nam etsi in illis *tradidit thalamis*, *meliore pensans*, *damnum marito* nihil habes, quod reprehendas, attamen colon *relictam virginem* pravum esse quovis contenderim pignore. Nam Leo, cum de dimetro iambico brachycatalecto cogitaret[32], ne sibi quidem ipsi — nedum aliis — persuasit; itaque maluit contra codicis fidem aliter versiculos digerere atque duos Glyconeos hypercatalectos sequente Alcaici hendecasyllabi priore parte

---

[29] Exempli gratia:

deseruit fugas | *nomenque genti*, *Oed.* 723

extimuit manus | *insueta carpi*, *Agam.* 853

(conf. Leo l. l. p. 125 sq., Marx l. l. p. 39, apud quos plura exempla iuvenies).

[30] Exempli gratia:

niveique lactis | *candidos fontes*, *Oed.* 495.

Plura exempla apud Leonem *l. l.* p. 125 et Marxium *l. l.* p. 40 invenies.

[31] Quod rectissime iam Hoche (*l. l.* p. 72) observavit et ita hunc versum perscripsit (p. 60).

[32] *l. l.*, p. 124.

agnoscere[33]. Quod quidem cunctis ut probaretur futurum fuisse puto, si lectio codicum niteretur auctoritate; sed cum mera sit Leonis coniectura, facere non possum, quin „interpolatae" recensionis lectionem praeferam, quae optime a metro stat. Nam versus *tradidit thalamis virginem relictam* compositus est e duobus colis; prius colon *tradidit thalamis* logaoedicum est, ab Aeolensium poesi minime alienum (cf. ἦλθες ἐκ περάτων); sed cum illud colon ab Horatii arte metrica alienissimum sit — nam eum Asclepiadei minoris basin semper spondeo explevisse cui ignotum ? — quaestio exoritur, unde ad Senecam pervenerit: illud te velim scire Senecam interdum Sapphici minoris secundam thesin solvisse, ita ut duabus formis uteretur, scilicet Horatiana ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ – et hac ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ – [34]. Quae cum ita sint, colon illud nihil est nisi huiusce Sapphici hendecasyllabi penthemimeres. Accedit, quod idem colon, secundum metricorum praecepta ab integro versu separatum, etiam alio loco apud Senecam legitur [35], confer *Agam.* 817 (*tardius celeres*), de quo infra plura dicam. De reliqua versiculi parte, illa *vĭrgĭnĕm rĕlĭctām* scilicet, non est, quod dubitetur: est enim Ithyphallicus[36], cuius exemplum Seneca ab Horatio (c. I 4) hausit, metricorum autem praeceptis adductus est, ut versum Archilochium, qualis est *Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni*, in tetrametrum dactylicum acatalectum et Ithyphallicum divideret. Eiusdem versiculi exemplum praebet nobis versus *Agam.* 810 *sĕmpĕr ĭngēntĕs | ĕdŭcās ălūmnōs*, quo pari fere modo Sapphica penthemimeres Ithyphallico excipitur eo discrimine interposito,

---

[33] *tradidit thalamis relictam*
virginem meliore pensans
damnum marito,

Conf. Leo, *l. l.* p. 124; conf. Marx *l. l.* p. 50 sq., qui versiculos esse Sapphicos detracta basi vetere et nova basi trochaica addita dixit. Eodem modo etiam L. Mueller *l. l.* p. 130 cola disposuit.

[34] Confer: *Te caput Tyria cohibere mitra*, *Oed.* 414
sensit Arcadii populator agri, *Agam.* 832.

Conf. Leo, *l. l.* p. 122, Marx *l. l.* p. 39. Eius generis Sapphici hendecasyllabi extra polymetra cantica occurrunt, ut puta:

quaeque ad Hesperias iacet ora metas, *Phaedr.* 286
Troia qua iaceat regione monstrans, *Troad.* 1051
sumere innumeras solitum figuras, *Med.* 636

(conf. Hoche, *l. l.* p. 53 sq.).

[35] Conf. L. Mueller, *l. l.* p. 127.

[36] Ithyphallicis Senecam usum esse iam L. Mueller iure monuit (*l. l.* p.128), conf. Hoche, *l. l.* p. 71 sq.

quod Sapphicae penthemimeris secunda thesis secundum Horatii placita non duobus brevibus, sed una longa efficitur. De insequenti versu pauca dici possunt: si Etrusci lectionem spreveris atque interpolatae recensionis illud *damna* praetuleris, legetur versus:

meliore pensans damna marito,

quae est Sapphici hendecasyllabi posterior pars coniuncta cum Adonio; atque is quidem versiculus eo probabilior est, quod etiam alibi apud Senecam occurrit, ut hic locus documento est:

remeare bigas pallida Phoebe (*Agam.* 818)[37].

Hactenus de versibus *Oed.* 489 sq., quos secundum A recensionem esse scribendos digerendosque satis, puto, demonstravi. Sequatur disputatio de *Agamemnonis* versibus 623—626, quos et ipsos Leo et Marx secundum Etruscum codicem digesserunt. Quod perperam esse digestum aio; nam non solum versiculos melius „interpolata" lectio disposuit, sed etiam ea, quae in Etrusco sunt tradita, ne a sensu quidem possunt stare; de quo si recte volemus iudicare, paulo superius est recedendum. Nam sic sunt versiculi digesti in Etrusco:

aut cum ipse Pelides animos feroces | sustulit luctu | celeremque saltu
Troades summis | timuere muris, perdidit in malis | extremum decus
fortiter vinci | restitit quinis bis annis unius noctis | peritura furto.

Quaestio exoriatur necesse est, ubi sit verborum *perdidit* et *restitit* subiectum, nam numquam possum adduci, ut intellegam illud *patria*, v. 612 dictum. Itaque aliquid desiderari luce est clarius; at rectissime legitur in A vox *Troia*, quam librarii nebulonis culpa esse in Etrusco omissam quovis spoponderim pignore[38]. Adde quod versiculi in Etrusco adeo sunt turbati perperamque traditi, ut inde a versu 617 usque ad v. 623 Leo hunc codicem sequi non posset atque nulla A codicum mentione iniecta eos restitueret versiculos, qui in his exstarent libris manu exaratis[39]. Equidem fieri non posse puto, quin usque ad finem, id est ad versum 626, A codices sequamur, praesertim cum voce *Troia* enuntiatum carere non posse dixerim. Itaque ita versus debent decurrere, ut in Herrmaniana decurrunt editione, et quidem hoc modo:

---

[37] De quo infra plura dicentur.

[38] L. Herrmann vocem *Troia* genuinam esse ratus iure in textum recepit (Edit. vol. II p. 70). Conf. Hoche *l. l.* p. 66, L. Mueller *l. l.* p. 134.

[39] *l. l.* p. 129 sq., conf. Marx *l. l.* p. 43.

perdidit in malis extremum decus
fortiter vinci: restitit annis
Troia bis quinis,
unius noctis peritura furto.

Versus 623 est Alcaici hendecasyllabi pars posterior coniuncta cum colo ⏑ – ⏑ ∪ ⏑, de quo supra disseruimus, versus 624 constat e penthemimere Sapphica et Adonio. Eadem Sapphica penthemimere versus 625 expletur, contra qui subsequitur versus 626, est integer Sapphicus hendecasyllabus, severissima Horatiana lima castigatus.

Etiam eiusdem fabulae versus 859—866 documento sunt nobis, quanto melius versus digesti sint in A codicibus. Nam quae in Etrusco libro sunt tradita, tantopere mixta turbataque sunt, ut ipse Leo eius codicis scripturam deserere cogeretur atque quosdam versus secundum A discribere, etsi ne verbo quidem eos libros laudavit[40]. Nam cum versus 863 sq. sic in Etrusco esset digestus:

> *te duce succidit mendax | Dardanidae domus et sensit arcus | iterum timendos*, eqs.

non fefellit virum doctissimum illa *mendax Dardanidae*[41] *domus* legitimum efficere Glyconeum atque foede inter duos versus esse discerpta; at idem Glyconeus probe legitur in „A". Reliqua Leo neutram recensionem secutus ad arbitrium digessit. At „A" codices si sequemur, optime versus esse digestos concedamus necesse est. Verbo admoneo Herrmannum contra Leonis et Richteri auctoritatem reapse versus secundum A digessisse hoc modo[42]:

tractus ad caelum canis inferorum
triplici catena tacuit nec ullo
latravit ore lucis ignotae
metuens colorem. Te duce succidit
mendax Dardanidae domus
et sensit arcus iterum timendos;
te duce concidit totidem diebus
Troia quot annis.

Rem metricam huius loci optime se habere scito: versus 859 est Sapphicus hendecasyllabus, versus 860 est eiusdem versus pars poste-

---

[40] *l. l.* p. 132.

[41] Codicum consensu traditum est illud *Dardaniae*, quod corruptum esse Leo sagaciter perspexit atque in illud *Dardanidae* mutavit.

[42] Editionis vol. II p. 79 sq.

rior bis repetita (⏑ ⏑ ⏓ ⏑ ⏓ – | ⏑ ⏑ ⏓ ⏑ ⏓ –)[43], versus 861 constat ex Alcaici hendecasyllabi priore parte coniuncta cum Sapphica penthemimere (– ⏓ ⏑ ⏓ ⏑ | ⏓ ⏑ ⏓ – ⏓)[44]. Versus 862 constat e Sapphici hendecasyllabi parte posteriore coniuncta cum Alcaici hendecasyllabi parte posteriore. Itaque schema huius versus debet esse hoc: ⏑ ⏑ ⏓ ⏑ ⏓ ⏑ | ⏓ ⏑ ⏑ ⏓ ⏑ ⏓. Sequitur v. 863, Glyconeus scilicet Horatianus, qui excipitur Alcaici hendecasyllabi priore parte coniuncta cum Sapphici parte posteriore, cuius generis versiculos saepius admisit Seneca, ut puta:

Sensere terrae † Zalacum feroces, *Oed.* 472
praesente Bacchum coluit noverca, *Oed.* 487[45].

Qui paenultimo loco stat versus 865, exhibet Alcaici hendecasyllabi partem posteriorem cum Sapphici parte posteriore coniunctam. Clausulae vice fungitur Adonius, illa *Troia quot annis* scilicet. Itaque ne hoc quidem loco potest dubitari, quin versiculi in „A" codicibus traditi probe sint digesti.

Tot exemplis examinatis satis ostendisse arbitror, quam saepe sola A recensio recte digestos exhibeat canticorum versiculos melioremque praebeat scripturam, quam codex Etruscus, pro Annaeanorum codicum duce atque principe habitus. Itaque suspicio subeat necesse est etiam in iis versibus, qui in A codicibus aliter atque in Etrusco sint digesti, ita tamen, ut neutra lectio contra rem metricam videatur peccare, interdum codicum „A" lectionem Etrusco esse anteponendam. Atque imprimis digni, qui memorentur, versus sunt *Agam.* 808—823, quos nunc tractandos suscipio. Versus 808 sq., qui sunt:

Argos nobilibus nobile civibus
Argos iratae carum novercae,

nullam movent dubitationem, cum eodem modo in utraque recensione sint traditi: Versus 808 est Asclepiadeus minor legitime comparatus, qui excipitur Sapphico hendecasyllabo ita decurrente, ut tertia thesis sit contracta[46]. Sed qui insequuntur versus, an secundum A scribi possint,

---

[43] Idem legitur etiam aliis locis et quidem his:

vetuitque collo pereunte nasci, *Agam.* 836
positisque tandem levibus sagittis, *Oed.* 482.

(conf. Leo *l. l.* p. 123, Marx *l. l.* p. 40).

[44] Eius generis versus saepe Seneca admisit (conf. Marx *l. l.* p. 40).

[45] Conf. Leo *l. l.* p. 123, Marx *l. l.* p. 41.

[46] Conf. Leo *l. l.* p. 122, p. 126, Marx *l. l.* p. 45.

summa cura investigandum est. Ac scito quidem in A libris sequi versum :

semper ingentes educas alumnos;

est Sapphica penthemimeres coniuncta cum Ithyphallico[47] neque quicquam in eo inest versu, quod possit reprehendi: nam de Sapphica penthemimere ne verbo quidem opus est dicere, Ithyphallicum autem ab his canticis non esse alienum iam supra commonstravi, cum de versu *Oed.* 489 agerem. Versus 811: *imparem aequasti numerum deorum* optimum exhibet Sapphicum hendecasyllabum. De versu 812 *tuus ille bis seno meruit labore* loqui supersedeo, cum Marxio praeeunte eum esse habendum pro Sapphici hendecasyllabi hypercatalecti parte posteriore coniuncta cum Sapphici acatalecti parte (⏑ ⏑ ∠ ⏑ ∠ – ∠ | ⏑ ⏑ ∠ ⏑ ∠ ⏑) supra iam monuerim[48].

Versus 814: *adlegi caelo, magnus Alcides* iam a Marxio[49] contra Leonis auctoritatem ita digestus est, ut pro Sapphica penthemimere bis repetita haberetur. Versus 814 a: *cui̯ lĕgĕ mŭndī | Iŭppĭtĕr rūptă* est Alcaici hendecasyllabi pars prior coniuncta cum Sapphica penthemimere, id quod saepius apud Senecam admissum est, ut puta:

Sacer Cithaeron sanguine undavit, Oed. 484
aut feta tellus impio partu, Oed. 731[50].

Versus 815 *roscidae noctis geminavit horas* exhibet integrum Sapphicum hendecasyllabum probe comparatum, cui nihil possit obici; at versus 816 *iussitque Phoebum tardius celeres* constat e duobus colis, Alcaici scilicet hendecasyllabi parte priore et colo illo ∠ ⏑ ∠ ⏑ ⏑ ∠, de quo supra satis superque disputasse videor. Neque versus 817—818, quemadmodum in A codicibus sunt traditi, ullam movere possunt dubitationem: illic enim offendimus inversum, qui dicitur, Sapphicum[51], hic autem versiculum compositum e Sapphici parte posteriore et Adoneo[52].

Qui subsequuntur versus, ita a Leone sunt digesti, ut neque Etruscum neque A codices vir doctissimus sequeretur, sed suopte magis con-

---

[47] Ut iam iure Hoche *l. l.* p. 72 statuit.

[48] p. 97.

[49] *l. l.* p. 45. Herrmann versus 814 sqq. sccundum vulgarem probe disposuit lectionem praeter versum 815, quem perperam sic edidit: *geminavit horas roscidae noctis.*

[50] Plura exempla apud Marxium possunt inveniri, *l. l.* p. 40.

[51] Legitur apud Senecam etiam aliis locis, ut puta:
niveique lactis candidos fontes, Oed. 495
tibi concitatus substitit mundus, Agam. 827.

[52] 817: *agitare currus et tuas lente*
818: *remeare bigas pallida Phoebe.*

fisus ingenio ad arbitrium versus restitueret. De quibus si recte volemus iudicare, utriusque recensionis scriptura inter se est conferenda:

	E:	A:
819	*retulit pedem nomen alternis*	*retulitque pedem alternis nomen*
820	*stella quae mutat seque mirata est*	*stella quae mutat seque mirata est*
	Hesperum dici; Aurora movet	*Hesperum dici; Aurora movit*
	ad solitas vices	*ad solitas vices caput et relabens*
	caput et relabens imposuit seni	*imposuit senis humero mariti.*
	collum marito.	

In A libros menda quaedam irrepsisse luce est clarius: nam et illa *alternis nomen* sana esse non possunt, cum nullum efficiant metrum neque melior est condicio coli *imposuit senis*, cum sequente voce a vocali incipiente illud *is* finale produci nequeat. Quae omnia, librariorum culpa foede depravata, probe in Etrusco libro sunt tradita neque video, quid prohibeat, quominus secundum Etruscum corrupta corrigamus verba. Sed colorum versiculorumque ordo est retinendus is, quem A codices exhibent quemque iure Herrmann in textum recepit[53]:

819 *rettulit pedem nomen alternis*
820 *stella quae mutat seque mirata est*
Hesperum dici; Aurora movit
ad solitas vices caput et relabens
imposuit seni collum marito.

Versus 819 est scilicet penthemimeres Sapphica bis repetita, cuius prior pars puram exhibet formam (– ∪ – ∪ –)[54], versus autem 820 idem fere est, nisi quod utrumque eius colon Horatiana lima est castigatum, id quod saepius apud Senecam fieri solet.

At versus 821 exhibet Sapphicam penthemimeren sequente Alcaici hendecasyllabi priore parte, cuius rei permulta apud Senecam inveniuntur exempla[55]. Versus 822 constat e duobus colis, Alcaici scilicet hendecasyllabi parte posteriore et Sapphici minoris eadem parte; versus 823 est Alcaicus hendecasyllabus inversus[56].

Hoc loco subsistere licet, nam satis de huiusce loci metrica ratione disseruisse videmur: ex eis enim, quae disputavimus, apparet versiculos

---

[53] Editionis vol. II p. 78.

[54] Conf. Marx, *l. l.* p. 45.

[55] Conf. *conditos reges bellumque gestans*, *Agam.* 631.
praebuit saevis tinxitque crudos *Agam.* 846.
(conf. Marx, *l. l.* p. 40).

[56] Quem saepius Seneca admisit, conf. supra p. 98 adn. 29.

in „A" probe esse digestos neque quicquam exhibere, a metricis Senecae placitis quod sit alienum. Itaque vix — ac ne vix quidem — ambigendum reor, quin versiculi secundum A libros sint digerendi; qui ut plane sint manifesti, operae pretium me esse facturum puto, si totius loci textum adiectis metricis schematis exscripserim:

808 *Argos nobilibus nobile civibus* ⏑ – ⏑ ∪ ∪ ⏑ | ⏑ ∪ ∪ ⏑ ∪ ⏑
Argos iratae carum novercae ⏑ ∪ ⏑ – ⏑ | – ⏑ ∪ ⏑ –
810 *semper ingentes educas alumnos* ⏑ ∪ ⏑ – ⏑ | ⏑ ∪ ⏑ ∪ ⏑ –
imparem aequasti numerum deorum ⏑ ∪ ⏑ – ⏑ | ∪ ∪ ⏑ ∪ ⏑ ∪
tuus ille bis seno meruit labore ∪ ∪ ⏑ ∪ ⏑ – – | ∪ ∪ ⏑ ∪ ⏑ ∪
adlegi caelo magnus Alcides ⏑ ∪ ⏑ – ⏑ | ⏑ ∪ ⏑ – ⏑
cui lege mundi Iuppiter rupta – ⏑ ∪ ⏑ – | ⏑ ∪ ⏑ – ⏑
815 *roscidae noctis geminavit horas* ⏑ ∪ ⏑ – ⏑ | ∪ ∪ ⏑ ∪ ⏑ –
iussitque Phoebum tardius celeres – ⏑ ∪ ⏑ – | ⏑ ∪ ⏑ ∪ ∪ ⏑
agitare currus et tuas lente ∪ ∪ ⏑ ∪ ⏑ – | ⏑ ∪ ⏑ – ⏑
remeare bigas pallida Phoebe; ⏑ ∪ ⏑ – | ⏑ ∪ ∪ ⏑ –
rettulit pedem nomen alternis ⏑ ∪ ⏑ ∪ ⏑ | ⏑ ∪ ⏑ – ⏑
820 *stella quae mutat seque mirata est* ⏑ ∪ ⏑ – ⏑ | ⏑ ∪ ⏑ – ⏑
Hesperum dici; Aurora movit ⏑ ∪ ⏑ – ⏑ || – ⏑ ∪ ⏑ ∪
ad solitas vices caput et relabens ⏑ ∪ ∪ ⏑ ∪ ⏑ | ∪ ∪ ⏑ ∪ ⏑ –
imposuit seni collum marito. ⏑ ∪ ∪ ⏑ ∪ ⏑ | – ⏑ ∪ ⏑ –

Restat, ut de versibus *Agam.* 594 sq. pauca addam. Qui praecedunt quique subsequuntur versiculi eodem modo in Etrusco codice atque in A codicibus sunt dispositi. At aliter factum est loco, de quo nunc sumus dicturi; nam cum in Etrusco legatur versus *procella Fortunae movet aut iniqui*[57], qui excipitur Adoneo *flamma Tonantis*, cola in A codicibus sic disposita decurrunt:

procella Fortunae movet
aut iniqui flamma Tonantis[58].

[57] Est Sapphicus hendecasyllabus adiecta anacrusi, qui potest haberi pro Sapphico dodecasyllabo, quem cum Alcaei versu: ἰόπλοκ' ἄγνα μελλιχόμειδε Σάπφοϊ (= fr. 63 D) Leo *l. l.* p. 127 conferri iussit.

[58] L. Mueller ante vocem *procella* lacunam in codicibus exstitisse ratns sic cola digessit (l. l. p. 132):

∪ ∪ – *procella*
fortunae movet aut iniqui
flamma Tonantis.

Quod falsum esse luce est clarius.

Quaeritur, quid de his versibus sentiri possit; quod adiectivum (*iniqui*) eodem quo nomen (*Tonantis*) continetur versiculo, locus melius in A quam in E discriptus videtur esse. Sed de re metrica paucis est dicendum; ac scito quidem priorem versum, cuius schema est hoc: ⏑ ⏓ ⏑ ⏓ ⎯ ⏓ ⏑ ⏓, posse haberi pro Alcaico enneasyllabo, qui eo ab Horatianis eius generis versibus differt, quod catalecticus est; reputes velim tecum, quam saepe Seneca utatur variis Horatianorum versuum generibus catalecticis: iam intelleges huic versiculo in A codicibus tradito nihil posse vitio dari. Sequitur versus *aut iniqui flamma Tonantis*, qui e duobus colis constat; de illo *flamma Tonantis* non habes, quod dubites — est enim Adonius — illa autem *aut iniqui* recte se habere omnibus spondeo pignoribus. Res est nobis cum ditrochaeo (⎯ ⏑ ⎯ ⎯), de quo dubitari nequit, cum eodem colo usus sit Seneca etiam alio loco, scilicet *Agam.* v. 824:

sēnsĭt ōrtūs | sēnsĭt ōccāsūs[59].

Ut hoc versu Seneca ditrochaeum Sapphicae praemisit penthemimeri, sic in versu 595, a quo indagando sumus profecti, ditrochaeum Adonio praemisit. Quae cum ita sint, v. 595 optime comparatus videtur neque quicquam in eo reperitur, quod suspicionem possit movere. Et quoniam iam in ditrochaeum nostra incidit oratio, par est, ut explicare conemur, unde id hauserit Seneca, quem constat metricorum metra derivantium praeceptis imbutum versibus colisque Horatianis praecipue esse usum. Si de ditrochaei origine recte iudicare volemus, respicienda sunt ea, quae de Phalaeceo hendecasyllabo et Caesius Bassus et alii metrici disseruerunt. Etenim viri, quos dico, septem huius versus formas protulerunt[60], quarum quae quarto loco solet enumerari, peculiari digna est mentione: nam versum dividunt metrici in duo cola, quae sunt ⏑ ⎯ ⏑ ⏑ ⎯ ⏑ ⏓ et ⏑ ⏓ ⏑ ⏓; quae si coniunxeris, rursus Phalaeceus hendecasyllabus eva-

---

[59] Huius coli naturam L. Mueller perspicere non potuisse videtur; itaque ad coniecturam se contulit et sic locum scribi iussit:

sic sensit ortus
sensit occasus (*l. l.* p. 135)

Quod quam sit falsum, ne verbo quidem demonstrare oportet.

[60] Quid Caesius Bassus de variis Phalaecei hendecasyllabi divisionibus earumque natura ac ratione exposuisset, Heinze scite interpretatus est, *Die lyrischen Verse des Horaz*, Berichte über die Verhandlungen der sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften, Philol.-Hist. Klasse 70,4 (1918) p. 52—58.

det[61]. Itaque illud colon ⏑ ∪ ⏑ ∪, a Seneca usurpatum, originem videtur capere ex hac Phalaecei versus divisione, quam Seneca a Caesio Basso an ab alio viro rei metricae studente atque metra derivante didicerit, vix audeo discernere neque in hac quaestione tractanda nostra quicquam discernere refert; id enim tantum egi, ut illius – ∪ – ∪ originem in tritissimis praeceptis metricorum, de variis versus Phalaecei divisionibus disputantium, quaerendam esse ostenderem. Ut ad rem revertar, satis multa verba fecisse videor, quare etiam versus *Agam.* 594 sq. secundum vulgarem, quae dicitur, lectionem potius essent scribendi.

Hoc loco iam liceat subsistere; quaeretur fortasse, quid tam multis verbis factis simus lucrati. Multos enim Senecae fabularum locos enumeravimus, quos Leo contra Etrusci scripturam in versibus colisque digerendis secundum vulgarem constituit lectionem, multos, quos contra Leonis auctoritatem atque contra Etrusci fidem secundum A codices esse constituendos ostendimus; neque deesse locos vidimus, qui essent ita in libris „interpolatis" comparati, ut in versibus describendis plus fidei eis libris habendum esse quam Etrusco videretur. Quid igitur? Equidem vix reor ambigendum, quin loci, quos tractavimus, non secundum Etruscum, sed secundum vulgarem sint constituendi lectionem. Sed etiam illud docuisse videmur rectissimam stare sententiam eorum, qui desiderari dicerent novam Senecae tragoediarum editionem[62], eam scilicet, qua praeter Etrusci virtutes vulgaris lectionis codicibus iustus debitusque tribueretur locus honorque.

Wratislaviae

---

[61] *Quarta divisio est hendecasyllabi talis,*
castae quas veneramur o sorores
nam priore commate Callimachus in epigrammatibus usus est et Bacchylides in carminibus et alii. heroici autem dactylici pars est hoc modo,
castae quas veneramur Olympia templa tenentes
(Caesius Bassus G. L. K. VI 261). Illud *o sorores* ditrochaei adaequat mensuram plane neque cum illis *sensit ortus* et *aut iniqui* conspirat.

[62] Conf. supra p. 94 adn. 9.

DE VERSU ASCLEPIADEO MINORE APUD ROMANOS OBVIO

Scripsit
HELENA SĄDEJ

Neminem eorum, qui Horatii *Carmina* umquam legerint, esse puto, quin cognoverit versum Asclepiadeum minorem, apud Horatium perquam saepe occurrentem. Horatius enim *Carminum* prologum, carmen illud (I 1):

Maecēnās ătăvīs ēdĭtĕ rēgĭbŭs

et multa alia versu Asclepiadeo minore composuit sive κατὰ στίχον adhibito sive cum aliis versibus iuncto, Glyconeo scilicet Pherecrateoque.

Versu Asclepiadeo minore poetae Lesbii, Sappho et Alcaeum dico, primi, quod quidem sciamus, sunt usi. Temporibus posterioribus Asclepiadem, hellenisticae quae dicitur aetatis poetam, metrum id adhibuisse cuivis est notum; a quo versus Asclepiadeus nomen traxit[1]. Apud Romanos Horatius primus hunc versum similiter ac plerosque poetarum Lesbiorum modos in *Carminibus* usurpavit. Aetate posteriore Seneca, qui in tragoediarum canticis metris plerumque Horatianis κατὰ στίχον adhibitis uti solebat, carmina chori nonnulla versu Asclepiadeo minore scripsit[2]. Etiam in Annaeanae *Agamemnonis* et *Oedipi* canticis vario versuum genere compositis aliquot versus Asclepiadei minores inveniuntur[3]. Praeter Horatium et Senecam nemo nisi Prudentius *Carminum* partes ampliores versu Asclepiadeo minore condidit. Carmina minora vel maiorum partes exiguae hoc versu compositae, quibus numquam plures quam centum versus continentur, apud aliquot auctores nobis occurrunt. Hic primum memorandi sunt Claudius Claudianus[4], Martianus Capella[5], Terentianus Maurus[6], deinde ii, qui inter poetas Latinos mi-

---

[1] Conf. Atilium Fortunatianum (G. L. Keil VI) p. 295: *Maecenas atavis edite regibus. asclepiadeon metron vocatur, non quod repertor eius Asclepiades fuerit, sed quod eo familiarius et frequentius sit usus. ante illum enim usus Alcaeus et Sappho hoc integro usa est libro quinto.*

[2] Conf.: M. Hoche, *Die Metra des Tragikers Seneca*, Halle 1862, p. 49.

[3] Quos versus collegit W. Marx, *Funktion und Form der Chorlieder in den Seneca-Tragödien*, Diss. Heidelberg 1932, p. 38 sqq.

[4] *Fescennina de nuptiis Honorii Augusti IV* (Cl. Claudiani *Carmina* rec Th. Birt, Berolini 1892, p. 123 sq.).

[5] *De nuptiis Philologiae et Mercurii* (ed. A. Dick, Lipsiae 1925) § 91—93, 122, 911—912.

[6] *De metris* vv. 2644, 2646—47, 2650—53, 2655, 2658—64, 2678, 2689—92, 2696—97, 2699—2700, 2705, 2707—12, 2723—24, 2793—95, 2803—04, 2807.

nores, qui dicuntur, reperiri possunt, qui sunt Vestricius Spurinna[7], Severus Sanctus Endelechius[8] Luxoriusque[9]. Vestricius Spurinna Plinii Minoris aequalis fuit, cuius carmina lyrica Graece et Latine scripta a Plinio laudantur[10]. Quattuor tamen carmina, quae sub Vestricii Spurinnae nomine servata sunt, spuria esse nonnulli docent[11]. Ad Severum Sanctum Endelechium carmen bucolicum refertur, quod inscribitur *De mortibus boum*, quod sub finem saeculi post Chr. natum quarti scriptum esse putatur[12]. Denique Luxorius, qui saeculi post Chr. natum sexti decenniis primis *Epigrammata* componebat[13], poematiis nonnullis versu Asclepiadeo minore est usus[14]. Praeter eos, quos enumeravi, nemo, nisi fallor, apud Romanos fuit, qui versum Asclepiadeum minorem adhiberet.

Horatii in versibus Asclepiadeis pangendis placita a Graecorum arte dissentire iam dudum est observatum. Poetarum Lesbiorum perpauci versus Asclepiadei minores ad nostram aetatem servati sunt, qua de causa eorum ars a viris doctissimis accuratius investigari nequit. Id tamen certum est Sappho et Alcaeum saepissime basi spondiaca vel trochaica, rarius iambica et pyrrhichiaca usos esse, caesuram autem maximam partem post syllabam sextam vel septimam posuisse[15]. Apud Horatium, qui, ut supra dixi, primus apud Romanos versum Asclepiadeum minorem adhibuit, nulla alia nisi spondiaca basis invenitur, caesura autem semper post syllabam sextam posita conspicitur, versu IV 8, 17[16] excepto, quem spurium esse iam Bentley docuit. Similiter

---

[7] A. Riese, *Anthologia Latina* I 2, 918—921.

[8] Riese, *Anth. Lat.* I 2, 893.

[9] Baehrens, P. L. M. IV 443, 468, 470, 477, 510, 515.

[10] *Epist.* III 1,7: *se cubiculo ac stilo reddit. Scribit enim et quidem utraque lingua lyrica doctissima; mira illis dulcedo, mira suavitas, mira hilaritas, cuius gratiam cumulat sanctitas scribentis.*

[11] Schanz-Hosius, *Gesch. d. röm. Lit.* II[4], p. 562 sq.

[12] Schanz, *Gesch. d. röm. Liter.* IV, 2 p. 360 sq.

[13] Levy, Pauly-Wissowa RE XIII s. v. *Luxorius* col. 2104.

[14] Cf. adn. 9.

[15] H. Jurenka, *Die Metrik des Horaz und deren griechische Vorbilder*, Zeitschrift f. oesterr. Gymn. 52 (1901) p. 689 sqq.; R. Heinze, *Die lyrischen Verse des Horaz*, Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. LXX, 4 (1918) p. 58 sq.

[16] Versum hunc affero: *non incendia Karthaginis impiae*; conf.: *Q. Horatius Flaccus ex recensione et cum notis atque emendationibus Richardi Bentleii*[3], Berolini 1869, adn. ad *Carm.* IV 8,17. Etiam in versu II 12,25 *cum flagrantia detorquet ad oscula* caesura in mediam vocem incidere cuipiam videatur. Cui tamen versui hanc ob rem venia est danda, quod vox composita *detorquet* in suas partes incisione dividitur, cuius rei etiam in aliis metris Horatianis aliquot exstant exempla; conf. Kiessling-Heinze, *Q. Horatius Flaccus, Oden und Epoden*[6], Berlin 1917, p. 13.

ac versum Asclepiadeum minorem etiam alia Aeolia metra artioribus Horatius adstrinxit legibus. Nam et versuum Glyconeorum et Pherecrateorum ancipitem firmavit basin, quam semper explebat spondeo, et mediis versibus hendecasyllabis Sapphicis et Alcaicis pro communi semper longam posuit syllabam, nec non versus multos, qui apud poetas Lesbios immotis stabilibusque caruerant caesuris, certis distinxit incisionibus[17]. Cuius rei explicandae gratia docuerunt nonnulli — Christium[18] et Kiesslingium[19] dico — imbutum esse vatem Venusinum derivandorum metrorum praeceptis a grammaticis prolatis, qui metra pleraque ex nobilissimis duobus, hexametro dactylico et trimetro iambico, deducere soliti essent. Longe aliter rem se habuisse Heinze opusculo illo quod inscribitur *Die lyrischen Verse des Horaz* exposuit. Qui vir doctissimus omnia rei metricae enchiridia quae supersunt antiqua accuratissime est perscrutatus et nullum apud Horatium vestigium grammaticorum doctrinae invenire potuit, quod testimonio esset Horatium derivandorum metrorum paruisse praeceptis. In temperandis versibus easdem rationes secutum esse Horatium Heinze putavit, quibus ducti etiam alii poetae et Graeci et Latini omnium generum metra ad severiores revocarent leges, cuius rei multa vir doctissimus attulit exempla[20]. Fieri potuisse, ut iam Asclepiades versum Asclepiadeum minorem severioribus adstringeret normis[21] — quod tamen demonstrari nequit, nullus enim Asclepiadis versus ad nostram memoriam servatus est. Si vero Horatius primus basi spondiaca semper usus esset et versum certa distinxisset caesura, poetam Venusinum ita rem egisse Heinze docuit, ut quae frequentissime a Graecis adhibita essent, ea sibi sequenda putaret[22].

---

[17] Praeter versum Asclepiadeum minorem in censum veniunt: versus hendecasyllabus Sapphicus, hendecasyllabus Alcaicus, Asclepiadeus maior, Sapphicus maior; conf. Heinzium, *l. l.* p. 1.

[18] *Die Verskunst des Horaz im Lichte der alten Überlieferung*, Sitzungsberichte d. bayer. Akad. d. Wissensch. 1868, I 1.

[19] *Horatius*, Philol. Untersuch. 2. Heft (1881) p. 64 sqq. Conf. Kiessling-Heinze, *l. l.* p. 1 sqq.

[20] *l. l.* p. 31—36.

[21] W. Christ, *Metrik der Griechen und Römer*[2], Leipzig 1879, p. 468: Fr. Crusius, *Römische Metrik, Eine Einführung*, München 1929, p. 82; R. Heinze, *l. l.* p. 58 sq.

[22] *l. l.* p. 91: *In der Festlegung der im griechischen Verse freien Silbenquantitäten hat Horaz die von seinen Vorgängern bevorzugten Quantitäten durchgeführt. In der Ansetzung der festen Cäsuren und bevorzugten Wortschlußstellen hat Horaz mit selbständiger Auswahl Tendenzen, die er bei seinen lesbischen Vorbildern oder in der hellenistischen Lyrik bemerkte, weiter verfolgt und teils zu Regeln, teils zu Gesetzen des Versbaus erhoben.*

Saepissime autem apud poetas Lesbios basis spondiaca et caesura post syllabam sextam posita occurrisse videntur[23].

Quaestio nunc oboritur, possitne statui tale discrimen, quod inter versum Asclepiadeum minorem et hexametrum (vel pentametrum) intercedat, ut ex eo efficiatur versum Asclepiadeum minorem ab Horatio ex hexametro deductum non esse? Quod tamen haud facile est demonstratu. Multae enim leges a poetis dactylicis in versibus componendis observatae, quas viri doctissimi hexametris accuratissime investigatis cognoverunt, non solum ad hexametros sed etiam ad alia pertinent metra. Exempli gratia in metris plerisque synaloephae saepissime iisdem locis adhiberi solent[24]; multis in metris diligentissime Lachmanniana tenetur regula[25] a Nordeno[26] subtilius examinata, qui viri doctissimi docuerunt poetis dactylicis minime cordi fuisse voces in secunda, tertia, quarta arsi per synaloephas imminuere, si eadem arsis syllaba pleno accentu praedita expleretur[27]. Omnibus in versibus monosyllaba ante caesuram et in versus fine occurrentia a poetis evitata esse inter omnes constat, quo factum est, ut in versuum partibus, quae caesuram et metri finem praecedebant, formandis severiores normae observari solerent. Quae cum ita sint, multo facilius inventu sunt ea, quae versui Asclepiadeo minori cum hexametro sunt communia, quam ea, quibus versus ille differt ab hoc.

Cum tamen versus Asclepiadei minoris basin cum hexametri primo pede mensuram spondei adaequante comparaverimus, perspicuum erit inter versum Asclepiadeum minorem et hexametrum multum interesse,

---

[23] Conf. tabulas a Jurenka propositas, *l. l.* p. 690 sqq., et Heinzium, *l. l.* p. 58 sq Nova Sapphus et Alcaei fragmenta versu Asclepiadeo minore scripta, quae edidit Diehl (*Anthol. Lyr*[2]. 1936), adeo sunt mutilata, ut ex eis nihil certi colligi possit.

[24] Conf.: L. Mueller, *De re metrica poetarum Latinorum praeter Plautum et Terentium libri septem*, ed. altera, Petropoli et Lipsiae 1894, p. 363: *Porro in relicuis metris eadem plane vel licentia vel modestia elisionum optinet, quae in hexametro pentametrove, ut primae partes mediis, mediae ultimis habeantur liberius.*

[25] *In T. Lucretii Cari De rerum natura libros commentarius*[4], Berolini 1882, p. 196 sqq. (ad III 954).

[26] *P. Vergilius Maro, Aeneis Buch VI*[1], Leipzig 1903, p. 451.

[27] Cuius normae migratae nulla in versibus Asclepiadeis minoribus inveni exempla nisi haec:

Hor. *Carm.* III 24,4 *terrenum omne tuis et mare publicum*
25,8 *indictum ore alio. non secus in iugis*
30,1 *exegi monumentum aere perennius*
30,7 *vitabit Libitinam usque ego postera*
Mart. Cap. p. 39,13 *nam nostra ille fides, sermo, benignitas.*

quod iam magno cum mentis acumine Heinze observavit[28]. Hac de re in priore huius commentarioli parte tractare liceat.

I. De vocis spondiacae in versus capite occurrentis usu.

Maxime curaverunt poetae dactylici, ut iam dudum multi[29] docuerunt, ne hexametri primae sedis spondeus spondiaco efficeretur vocabulo. Vergilius voce spondiaca in primo versus pede posita rarissime utitur atque eis tantum in versibus, qui aut verbis arte inter se cohaerentibus, aut vocabulo spondiaco maxima vi et pondere praedito incohantur. Exempli vice hi fungantur versus:

a) Verg. *Aen.* VI 306 *matres atque viri defunctaque corpora vita*
Buc. VIII 13 *inter victrices hederam tibi serpere laurus*
Buc. I 33 *quamvis multa meis exiret victima saeptis*
Georg. IV 432 *sternunt se sommo diversae in litore phocae*
b) Verg. *Aen.* VI 28 *magnum reginae sed enim miseratus amorem*
Aen. VII 259 *tandem laetus ait: di nostra incepta secundent.*

Horatius similiter ac Vergilius rem egisse videtur. Nam in *Epodis* in LXXVI hexametris quinquies tantum verbo spondiaco sedem primam explevit, in XLVIII autem *Carminum* hexametris non plus quam quattuor inveniuntur versus, qui in pede primo vocem exhibeant spondiacam[30]. At aliter res se habet in versu Asclepiadeo minore apud Horatium obvio. Inter centenos enim eiusmodi versus basis spondiaca tricies sexies voce spondiaca (vel trochaica ultima syllaba producta) efficitur. Quod cum ita sit, manifestum est in versu Asclepiadeo minore componendo Horatium nullam adhibuisse curam, ut evitarentur verba spondiaca in versus capite occurrentia. Quae vocabula tam saepe apud Horatium in versuum Asclepiadeorum basi admitti solent, ut etiam adamata esse videantur. Nullam quoque Horatius adhibuit diligentiam, ut vocabula ea artius cum vocibus insequentibus coalescerent. Itaque alia fuerunt Horatii in hexametris formandis placita, alias autem normas poeta observavit, cum versus Asclepiadeos minores componeret, ex quo intellegitur Horatii artem metricam a derivandorum metrorum praeceptis valde abhorrere et numquam evenisse puto, ut Horatius versum Asclepiadeum minorem ex hexametro deduceret dactylico.

---

[28] *l. l.*, p. 59 sq.

[29] Ph. Wagner, *De caesura post primum pedem* (in libro: *P. Vergilius Maro illustr. a Chr. G. Heyne*, vol. IV[4], Lipsiae-Londini, 1832, p. 430 sqq.); E. Norden, *P. Vergilius Maro, Aeneis Buch VI*[2], Leipzig-Berlin 1916, p. 435 sq.

[30] R. Heinze, *l. l.* p. 59.

Apud Senecam verbum spondiacum in versus basi positum aliquanto occurrit rarius, nam in centum versibus non plus quam tricies eiusmodi vocabulum invenitur. Vix autem cuipiam dubium esse potest, quin Seneca, cum *Agamemnonis* et *Oedipi* cantica componeret, derivandorum metrorum sit imbutus doctrina[31]. In eisdem canticis duo conspiciuntur versus Asclepiadei minores, qui peculiari digni sunt mentione. Eorum alter basin exhibet dactylicam:

Agam. 591 *effugium et miseros libera mors vocet,*

alter pro hemistichii prioris secundae thesis duabus brevibus unam habet syllabam longam:

Oed. 715 *ut primum magni natus Agenoris.*

Quibus e versibus perspicuum est Senecam tantum sibi in versus Asclepiadei minoris hemistichio priore componendo vindicavisse licentiae, quantum poetae dactylici in pentametris formandis. Quaestio nunc oboritur, qua re sit ductus Seneca, ut in versibus modo allatis partem priorem pentametrorum hemistichio priori similem componeret. In eandem ac Seneca aetatem Caesius Bassus cadit, qui poeta lyricus rei metricae peritissimus fuit. Enchiridium rei metricae a Caesio scriptum plurimum apud aequales et posteriores valuisse constat[32], cuius tamen sola fragmenta eaque exigua servata sunt. Caesium Bassum non omnibus in rebus derivandorum metrorum doctrinam secutum esse, non eum tamen fuisse, qui eam plane neglegeret, Heinze docuit[33]. Versum Asclepiadeum minorem pro choriambico metro Caesius habuit[34], sed fuerunt, qui de hac re aliter sentirent. Audi Caesium Bassum[35]:

> *comma „stet nive candidum"... facile convenit et cum choriambico metro, quod bacchicon musici vocant, quale est*
>
> *Maecenas atavis edite regibus.*
>
> *sed qui altius haec non perspexerunt grammatici, hoc putant metrum de curtato pentametro factum, ut reddita syllaba fiat* [*pentametrum*][36] *tale, Maecenas atavis edite remigibus.*

---

[31] Fr. Leo, *L.Annaei Senecae Tragoediae*, Vol. I, *Observationes criticae*, Berolini 1878, p. 132 sq.; K. Münscher, *Senecas Werke. Untersuchungen zur Abfassungszeit und Echtheit*, Philologus Supplbd. XVI,1 (1922) p. 86 sq.; W. Marx, *l. l.* p. 35.

[32] Schanz-Hosius, *Gesch. d.röm. Liter. II*, p. 484 sqq.; K. Münscher, *l. l.* p. 55; R. Heinze, *l. l.* p. 48.

[33] *l. l.* p. 21 sqq., 47 sqq.

[34] Versus Asclepiadeus minor in ordine metrorum choriambicorum apud Caesium conspicitur: G. L. Keil VI p. 259 sq.

[35] G. L. Keil VI p. 268.

[36] Vocem *pentametrum* uncis inclusit Keil.

Itaque Seneca in duobus versibus, quos supra attuli, componendis non Caesii Bassi expressisse doctrinam videtur, sed eorum, qui versum Asclepiadeum minorem e pentametro dactylico originem ducere putabant. *Agamemnonem* igitur et *Oedipum* Seneca scribere potuit, priusquam Caesii cognosceret doctrinam[37]. Parum autem mihi Münscher[38] persuasit Senecam Caesii praeceptis imbutum *Agamemnonis* et *Oedipi* composuisse cantica, versum enim Asclepiadeum minorem Seneca longe aliter ac Caesius Bassus tractavisse videtur[39]. Non tamen ambigendum esse puto, quin Caesii doctrina ad Senecae versus Asclepiadeos componendos valuerit, qui in tragoediis aetate posteriore, ni fallor, scriptis κατὰ στίχον adhibiti inveniuntur. Horatii exemplis et Caesii praeceptis prohibitum esse Senecam existimo, quominus eis in canticis versus Asclepiadei hemistichium prius similiter ac pentametri partem priorem componeret. Qua de causa in versibus κατὰ στίχον adhibitis neque est ausus longam solvere nec pro duabus brevibus longam ponere syllabam neque in basis voce spondiaca expletae usu prorsus Horatiana neglexit exempla.

Apud Vestricium, Terentianum, Prudentium, Severum vocabulum spondiacum in versus capite positum saepius quam apud Senecam reperitur. Qua in voce admittenda Terentianus Horatio par fuisse videtur, Vestricius et Prudentius Severusque frequenti basis eiusmodi usu etiam Horatium superaverunt[40]. Itaque non Senecam ducem, sed Horatium secuti sunt illi poetae; non sola tamen Horatii exempla, verum etiam grammaticorum praecepta plurimum ad eorum artem contulisse puto. Versum Asclepiadeum minorem multi tractaverunt grammatici, quos facile apud Keilium invenies. Praeter Caesium Bassum memorandi sunt: Ps.-Caesius Bassus[41], Atilius Fortunatianus[42], Marius Victorinus[43], Dio-

---

[37] *Agamemnonem* et *Oedipum* a Seneca adulescentulo scriptas esse Leo contendit, *l. l.* p. 132 sqq.; conf. praeterea *W. Marx*, *l. l.* p. 35.

[38] *l. l.* p. 87 sq.

[39] Quae tamen res ut diiudicetur, omnes *Agamemnonis* et *Oedipi* canticorum versus, non soli Asclepiadei minores, qui perquam raro occurrunt, accuratissime sunt perspiciendi.

[40] Vocem spondiacam in basi positam exhibent versus:

apud	Terentianum	14=35,9 %
,,	Vestricium	12=37,14%
,,	Prudentium	100=37,31%
,,	Severum	37=37,37%.

[41] G. L. VI p. 305.

[42] G. L. VI p. 295 sq.

[43] G. L. VI p. 147, 161.

medes[44], Marius Plotius Sacerdos[45]. Omnes, quos enumeravi, non unam sed plures tradunt opiniones, quae ad versus Asclepiadei minoris originem pertinent. Exempli gratia Atilium Fortunatianum audi[46]:

Maecenas atavis edite regibus.

asclepiadeon metron vocatur... hoc metrum videtur a pentametro epodico natum, nam habet duo penthemimere, primum acatalectum, secundum catalecticum... huic si reddas in ultimo syllabam, integer erit pentameter, ut

Maecenas atavis edite regibus o.

... potest et antispasticon esse trimetron acatalecton, cuius paenultimam affectavit pro longa brevem facere, cuius ingressio est talis,

Maecenas a,tavis edi,te regibus.

... quidam volunt adiectis duobus pedibus, spondeo ad caput, pyrrichio ad finem, in medio dimetron choriambicon clausum, ut ingressio sit talis,

Maece,nas atavis edite re,gibus.

nam si solas duas syzygias pronunties, choriambicum sonant.... alii de hexametro volunt natum. nam si tertio loco adicis pater, quinto regibus, hexametrum facies sic,

Maecenas atavis pater edite regibus altis.

Eis ex opinionibus, quas Atilius Fortunatianus et alii grammatici afferre solebant, poetae versu Asclepiadeo utenti unam necesse fuit eligere eamque sequi in versibus pangendis.

Terentianus Maurus, qui rei metricae enchiridium versibus scripsit, eodem in opusculo planissime negavit versum Asclepiadeum minorem ex pentametro dactylico ortum esse[47]. Versum Asclepiadeum cho-

---

[44] G. L. I p. 518 sq.

[45] G. L. VI p. 536 sq.

[46] G. L. VI p. 295 sq.

[47] v. 2650 sqq.
sunt qui tradiderint, ultima versui
tamquam pentametro syllaba dempta sit,
quam si restituas, pentametrum fore,
carmen Pierides dulcisonum dabunt,
carmen Pierides dulcisonum dabitis;
ut versus quoque sic constet Horatii,
„Maecenas atavis edite regibus",
Maecenas atavis edite remigibus.
usque autem videas hoc procul a fide,
ut metri genus hoc vatibus inclitis
non uno aut gemino constiterit pede,

riambicum esse metrum Terentianus docuit et eum aeque ac Caesius Bassus[48] in ordine choriambicorum versuum posuit, qui ita procedit: versus Glyconeus, qui unum exhibet choriambum, Asclepiadeus minor, qui duos habet choriambos, Asclepiadeus maior, cuius media parte tres choriambi continentur[49]. Ut versus Asclepiadei minoris pars choriambica plane indicaretur atque a basi spondiaca et a versus fine iambico incisione seiungeretur, maximam Terentianus adhibuit curam, minime autem eius interfuit versum immota stabilique incidi caesura. Qua de causa unus ex omnibus, qui versu Asclepiadeo minore utebantur, versum caesura carentem adhibere non dubitavit, qui est versus:

2707 *hanc docti tetracolon vocitant strophen*[50].

Ante caesuram Terentianus saepe monosyllaba admittere solitus est, quibus haud dubie incisio obscurabatur, ut puta:

2691 *quorum exordia cum praedita videris,*
2711 *versus, ex quibus hi sunt sibi tres pares*[51].

Quae cum ita sint, non est quod miremur verbum spondiacum in versus basi positum a Terentiano non modo minime evitatum, sed etiam adamatum fuisse. Voce enim post primam thesin finita medii choriambi magis perspicui fiunt. Hinc evenit, quod apud Terentianum saepissime versus inveniuntur hoc modo compositi:

2689 *talem, quem geminis perspicis effici*
2690 *servat carminibus perpetuum tribus*
2692 *stabit continuum consimili modo.*

Mensura choriambica in versu Asclepiadeo minore tractando Prudentius quoque uti videtur. Prudentianae enim *Praefationis* strophae eum in modum sunt compositae, ut trinis occurrentibus versibus Glyconeus Asclepiadeo excipiatur minore, Asclepiadeum autem minorem Asclepiadeus sequatur maior[52]. Quod nobis luculentissimo est indicio

---

verum in tres etiam consimiles eat
clausos in medio partibus exteris;
quod iam pentametri non patitur modus.
nam sic tres videas esse pedes datos,
carmen Pierides dulcisonum, si mereor, dabunt.

[48] Conf. supra adn. 34.

[49] vv. 2714—2728.

[50] Conf.: L. Mueller, *l. l.* p. 232; L. Strzelecki, *De Horatio rei metricae Prudentianae auctore*, Commentationes Horatianae, Cracoviae 1935, p. 43.

[51] Alia exempla: 2647, 2655, 2659, 2699, 2708, 2803. Terentianum non plures quam XXXIX versus Asclepiadeos minores scripsisse monendum esse puto.

[52] Conf. L. Strzelecki, *l. l.* p. 42.

Prudentium versum Asclepiadeum minorem pro choriambico habuisse metro. Eodem enim metrorum ordine, quem Prudentius in *Praefatione* adhibebat, Terentianus Maurus[53] et alii grammatici — Caesium Bassum[54] et Marium Victorinum[55] dico — usi sunt, cum versum Glyconeum, Asclepiadeum minorem maioremque tractarent. Grammatici, quos enumeravi, versus eos choriambica esse metra plane contenderunt. Itaque Prudentius, cum stropham, cui nulla similis apud Horatium reperitur, componeret, sine dubio grammaticorum fuit imbutus doctrina et in versu formando eorum paruit praeceptis. Qua de causa similem ac Terentianus in modum versus basin saepissime spondiaca explere voce non dubitavit et nihil est causae, quod miremur etiam Horatium hac in re adhibenda a Prudentio superatum esse.

Quod ad Vestricium et Severum pertinet, difficile est diiudicare, utrum in verbi spondiaci in versus capite positi usu Horatii sola exempla ante oculos habuerint, an aeque ac Terentianus et Prudentius grammaticorum sint adducti doctrina.

Luxorius aliquanto rarius in versus basi vocem exhibet spondiacam, quae in eius XLVIII versibus non plus quam ter decies[56] conspicitur. Parcissimi autem in versibus vocabulo spondiaco incipiendis fuerunt Claudianus[57] et Martianus Capella[58]. Peculiari dignum est mentione Martianum octies (in XCII versibus) basin dactylicam admisisse, spondeum igitur solvisse, a quo versus incipit; exempli gratia unum versum affero:

p. 40,3 *hic quoque sic patruis servit honoribus*[59].

Eum in modum versus Asclepiadei minoris hemistichium prius pentametri dactylici hemistichio priori simillimum fit, quod iam apud Senecam occurrere vidimus. Itaque credibile est non solum Senecam, sed etiam Martianum Capellam derivandorum metrorum praeceptis paruisse, cum versus Asclepiadeos scriberet. Claudianus nullum solutae basis exhibet exemplum, tam raro tamen voce spondiaca in versus capite posita utitur, ut mea quidem sententia eidem poetarum classi ac Seneca et Martianus Capella sit adiudicandus.

---

[53] Conf. supra adn. 49.
[54] Conf. supra adn. 34.
[55] G. L. VI p. 149 sq.
[56] 27%.
[57] Basin spondiaco verbo expletam adhibuit Claudianus octies (=21,6%).
[58] Apud Martianum voce spondiaca efficitur basis undevicies (=20,6%).
[59] Alia exempla: p. 39,21; 40,4; 52,9; 483,22; 484,7; 484,11; 484,17.

Nunc, cum quae supra exposui breviter complecti in animo habeam, disertis mihi monendum est verbis in Horatii versibus Asclepiadeis componendis nec volam nec vestigium grammaticorum ullius exstare doctrinae. Eorum praeceptis posteriores demum aetate paruisse videntur, qui in duas classes dividi possunt. Qui versum Asclepiadeum minorem choriambicum esse metrum putabant, saepissime soliti sunt versus basin voce explere spondiaca. Cui classi Terentianus et Prudentius Vestriciusque et Severus sunt adiudicandi. Qui autem versum Asclepiadeum e pentametro deducebant dactylico, ii maximam adhibuerunt curam, ut versus hic pentametro simillimus pangeretur, qua de causa minime eis cordi fuit versum a spondiaco incipere verbo. In eorum ordinem Senecam, Martianum Capellam, Claudianum ponendos esse puto. Luxorius in versu Asclepiadeo minore pangendo propior his quam illis esse videtur.

II. De synaloepharum usu.

Si nunc synaloephas tractandas suscipimus, non ab re erit primum quaerere, quanta fuerit apud poetas versu Asclepiadeo minore utentes synaloepharum frequentia. Vix enim dubium esse videtur, quin synaloepharum multitudo maxime ex genere pependerit operis, cuius versus synaloephis subiciebantur. Pro diverso enim metrorum usu diversissimae a singulis poetis synaloephae adhiberi solent[60]. Ita Horatius synaloephas plurimas atque durissimas in *Satiris* admisit, multo rarius *Epistularum* hexametros synaloephis subicere solitus est, in hexametris autem lyricis voces per synaloepham rarissime imminuit[61]. Quo quis propius ad sermonem cotidianum usu accessit dicendi, eo maiore in synaloephis adhibendis usus est licentia. Etiam pro diversitate temporum magna fuit elidendi varietas[62]. Augusteae aetatis poetae multum sibi in synaloephis adhibendis vindicare licentiae veriti non sunt. Plurimas atque haud raro satis duras admiserunt synaloephas Vergilius Horatiusque, cum iam Ovidius synaloepharum usum severioribus adstringeret legibus[63]. Ab Augusti aetate *quo magis ars corroboratast, eo acriore poetarum*

---

[60] L. Mueller, *l. l.* p. 337.

[61] A. Siedow, *De elisionis aphaeresis hiatus usu in hexametris Latinis ab Ennii usque ad Ovidii tempora*, Diss. Gryphiae 1911, p. 32 sqq. (tabulae I—V) et p. 80 sqq. Conf. L. Muellerum, *l. l.* p. 337.

[62] L. Mueller, *l. l.* p. 334 sqq.

[63] A. Siedow, *l. l.* (in censum veniunt tabulae et adnotationes ad Vergilium, Horatium, Ovidium pertinentes).

plerique elisionem persecuti sunt odio[64]. Nihil igitur mirum poetas versu Asclepiadeo minore utentes, qui tam diversis vixerint temporibus et versum Asclepiadeum in tam diversis usurpaverint generibus, in synaloephis admittendis multum inter se differre. Diligentiam maximam in versu Asclepiadeo minore componendo Claudianus adhibuit, qui tam studiose synaloephas evitabat, ut in carmine *Fescennino de nuptiis Honorii Augusti* IV, quod habet versus XXXVII, ne semel quidem vocem per synaloepham imminuere auderet. Nihil tamen est causae, quod eam rem miremur, nam in ceteris quoque carminibus summo opere curavit Claudianus, ut synaloephae rarissime tantum admitterentur[65]. In synaloephis adhibendis etiam Seneca parcissimus fuit, inter centenos enim versus Asclepiadeos minores non plura quam tria vel quattuor vocabula synaloephae subiecit, quamvis in trimetris iambicis synaloephas admitteret permultas[66]. Non potuit tamen Seneca in canticis eisque κατὰ στίχον compositis tantum sibi vindicare licentiae, quantum sibi in trimetro iambico concessum esse putavit. E reliquis poetis versu Asclepiadeo minore utentibus rarissime Severus synaloephas admittere solitus est, qui in XCIX versibus non nisi septies est passus vocem per synaloepham cum insequenti coalescere. Severus carmina bucolica poetarum aetate priorum imitari videtur; apud Vergilium enim in *Bucolicon* versibus multo rarius synaloephae insunt quam *Aeneidos* et *Georgicon*[67], Calpurnius autem inter centenos *Bucolicon* versus non plus quam semel synaloepha utitur[68]. Aliquanto saepius quam Severus voces per synaloepham cum sequentibus coagmentari Prudentius et Vestricius[69] voluerunt, qui ut in basis spondiaca voce expletae usu ita in vocibus elidendis non Senecae, sed Horatii insistebant vestigiis. Horatius quater decies in centenis versibus synaloepham adhibere solitus est neque est mirandum, quod aetate posteriores Seneca, Vestricius, Prudentius, Severus, ut iam vidimus, a synaloepharum multitudine tanta abstinuerunt. Mirum tamen in modum non refugerunt synaloepharum frequentiam Terentianus Maurus Martianusque Capella et Luxorius[70], qui minime restitebant,

[64] L. Mueller, *l. l.* p. 335.

[65] L. Mueller, *l. l.* p. 336; Fr. Vollmer, *Römische Metrik* (Einleitung in d. Altertumswissenschaft I 8), Leipzig-Berlin 1923, p. 21.

[66] L. Mueller, *l. l.* p. 363.

[67] A. Siedow, *l. l.* p. 24.

[68] Fr. Vollmer, *l. l.* p. 21.

[69] Prudentius XXIII synaloephas (8,57%) in CCLXVIII versibus admisit, Vestricius tres (8,58%) in XXXV versibus.

[70] Terentianus habet synaloephas VII (18%), Martianus XXIII (25%), Luxorius XIII (27%).

ne voces nimis multae synaloephis paterent. Quae tamen licentia operum genere, in quibus versu Asclepiadeo minore sunt usi, excusari potest. Terentianus Maurus enchiridium rei metricae versibus scripsit, ut *stili levaret siccioris taedium*, ut ipse dixit[71], et idcirco formae elegantiam neglexit. Martiani Capellae libri qui inscribuntur *De nuptiis Philologiae et Mercurii* satiris Menippeis similes esse videntur[72], nam carmina orationi auctor admiscuit, qua de causa aliquid sibi licentiae in synaloephis adhibendis concessum esse iudicavit. At Luxorius cum parum subtilia epigrammata scriberet, etiam in metris componendis maxima fuit incuria; fieri igitur non potuit, ut in synaloepharum usu maiorem adhiberet diligentiam. Accedit, quod Terentianus, Martianus, Luxorius metris multis atque diversissimis sunt usi, quamquam rem metricam primoribus tantum labris attigisse videntur. Quo factum est, ut Martianus imprimis Luxoriusque non solum multo plures quam Horatius admitterent synaloephas, sed etiam haud raro durissimas easque, quas in versu Asclepiadeo minore adhibere numquam, ut infra videbimus, Horatius esset ausus.

Ut nunc cognoscatur, quibus versus Asclepiadei minoris locis synaloephae admitti soleant, a quibus autem exclusae videantur esse, nec non quanta sit copia synaloepharum singulis versus locis occurrentium, hanc tabulam proponam:

Auctor	synaloepharum copia												summa
	hemistichium I						hemistichium II						
	1A	1T	2A	$2T_1$	$2T_2$	3A	1A	$1T_1$	$1T_2$	2A	2T	3A	
	—	—	—	⏑	⏑	—	—	⏑	⏑	—	⏑	—	
Horatius	—	1	20	6	4	10	13	6	8	7	3	1	79
Seneca	—	—	7	2	—	—	—	—	2	2	—	—	13
Prudentius	—	1	9	7	—	—	—	1	—	5	—	—	23
Vestricius	—	1	1	—	—	—	—	—	—	1	—	—	3
Terentianus	—	4	2	—	—	1	—	—	—	—	—	—	7
Severus	—	—	1	3	—	—	—	3	—	—	—	—	7
Martianus	1	6	13	—	—	3	—	—	—	—	—	—	23
Luxorius	—	1	8	2	—	—	—	1	—	1	—	—	13
Claudianus	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—

Sigilla: A = arsis, T = thesis, T_1 = thesis syllaba prior, T_2 = thesis syllaba posterior.

[71] *De syllabis* v. 282.

[72] Conf. Wessner, Pauly-Wissowa RE XIV s. v. *Martianus* (*Capella*) col. 2005 sq.

Saepissime igitur, ut e tabula supra proposita elucet, medio hemistichio priore et posteriore apud plerosque poetas voces elidi solent. Tres sunt autem versus partes, in quibus vocabula per synaloepham imminuere minime poetis cordi fuisse apparet, quae sunt: versus basis (prior potissimum eius syllaba), versus pars media, denique duae versus syllabae ultimae. Maximam synaloepharum varietatem Horatium adhibuisse e tabula est manifestum. Cum enim posteriores non nisi nonnullos versus Asclepiadei locos ad synaloephas adhibendas aptos esse putarent, Horatius omnibus versus locis prima hemistichii prioris arsi excepta[73] voces vocibus coagmentari maluit. Vix tamen est dubium, quin synaloephae in versus principio et versus exitu occurrentes minime ab Horatio sint adamatae; nam in versus basi — scilicet eius syllaba altera — non plures quam unam poeta Venusinus admisit synaloepham[74] et in duabus versus syllabis ultimis non nisi quattuor adhibuit vocabula per synaloepham imminuta[75]. In medio versu tractando longe diversissima fuerunt poetae placita, locis enim circa caesuram sitis Horatius voces plurimas synaloephae subiecit. Nullus est in Horatiano versu Asclepiadeo minore locus secunda hemistichii prioris arsi excepta, quo Horatius plures adhibuerit synaloephas, quam admisit in caesura et in syllaba caesuram praecedente. At aliter res se habuit apud poetas aetate posteriores[76]. Post Horatium nemo synaloepham in caesura adhibere est ausus, qualis conspicitur in Horatiano versu illo:

---

[73] In prima arsi sola monosyllaba synaloephae patere possunt, quae ne in versibus diligentius compositis per synaloepham imminuerentur, summo opere caverunt poetae. Nihil igitur mirum Horatium eiusmodi synaloepham asperiorem a versu Asclepiadeo minore prorsus exclusisse. In prima arsi etiam apud dactylicos synaloepha perquam raro occurrere solet, id quod accuratissime perscrutatus est Siedow (in censum veniunt tabulae numero II signatae, *l. l.* p. 12—52). Conf. praeterea: Fr. Froehde, *De hexametro Latino*, Philologus XI (1856) p. 533 sq.; L. Mueller, *l. l.* p. 350 sq.

[74] *Carm.* I 3,38: *caelum ipsum petimus stultitia neque.*

[75] In altera hemistichii posterioris thesi synaloepham exhibent versus: I 15,25; I 15,27; IV 8,10. In ultima versus syllaba synaloepha occurrit v. I 21,14:

pestemque a populo et principe Caesare in.

Studiosissime cavisse videntur poetae, ne aequalis rhythmorum decursus in versus fine ullis turbaretur impedimentis. Hinc evenit, quod synaloephae in versus syllabis ultimis satis raro reperiuntur; conf. Fr. Froehdium, *l. l.* p. 541 sq., L. Muellerum, *l. l.* p. 356 sq.; quo modo omnes poetae in quinta sextaque hexametri sede synaloephas adhibuissent, G. Eskuche tractavit: *Die Elisionen in den 2 letzten Füssen des lateinischen Hexameters von Ennius bis Walahfridus Strabo*, Rhein. Museum 45 (1890) p. 236—264; 385—418. Conf. etiam Siedowianas tabulas numero II signatas.

[76] Conf. L. Muellerum. *l. l.* p. 363.

Exegi monumentum aere perennius[77].

Synaloepha enim adhibita vocales concurrentes ita coëunt, ut ambo vocabula artiore quodam vinculo coniungi videantur. Synaloepha igitur, quae in versus occurrit caesura, artius voces conectuntur, quas caesura disiungi oportuit, quo fit, ut incisio haud dubie valde obscuretur. Hinc evenit, quod poetae posteriores, qui versu Asclepiadeo minore utebantur synaloephas in versus caesura occurrentes tanto persecuti sunt odio, ut synaloepharum eiusmodi exempla prorsus apud eos desiderarentur. Horatius autem, qui primus versum Asclepiadeum certa distinxit caesura, in eiusdem incisionis usu tam severus non fuit, ut a prima hemistichii posterioris arsi synaloepham prorsus excluderet. Maxima licentia etiam in monosyllabis ante caesuram admittendis Horatius utitur, quamquam monosyllaba ante versus incisionem occurrentia a poetis studiosissime evitata esse omnibus est notum[78]. Horatius in versus Asclepiadei minoris caesura tractanda minime se praebuit cautum et XXXIX monosyllaba ante caesuram ponere veritus non est eorumque magnam admisit varietatem. Tertiam hemistichii prioris arsin haud raro apud Horatium explent coniunctiones (*et*[79], *aut*[80], *nec*[81], *seu*[82]), pronomina (*te*[83], *tu*[84], *me*[85], *nos*[86], *quid*[87], *quos*[88], *haec*[89]), interiectiones (*heu*[90], *o*[91]), nomina substantiva (*res*[92], *vis*[93]), denique voces encliticae (*est*[94], *sunt*[95]). Nihil igitur mirum eiusmodi monosyllaba decies ab Horatio parti versus praecedenti per synaloepham coagmentata esse, cuius rei exemplum in versu hoc invenitur:

I 1, 2 *o et praesidium et dulce decus meum*[96].

Seneca et Prudentius multo severiores in monosyllabis ante caesuram adhibendis fuerunt. Seneca quattuor monosyllabis ante caesuram admis-

---

[77] Alia exempla: I 3,36; 15,18; 21,13; 24,14; II 12,6; III 24,52; 30,7; 30,12; IV 1,22; 5,13; 5,22; 8,16.

[78] Conf. L. Muellerum, *l. l.* p. 271 sqq., Fr. Vollmerum, *l. l.* p. 13 sq.

[79] I 1,2 (*o et praesidium et dulce decus meum*), I 14,13; 21,14; 24,6; III 13,5; 16,14; 16,23; 24,2; 24,46; 25,2; IV 8,14; 8,26; 12,6.

[80] I 6,14; III 25,2; 30,4.

[81] I 19,12; III 16,35.

[82] I 3,16.

[83] I 23,9; III 10,13; IV 5,33.

[84] III 13,10; IV 8,4.

[85] IV 8,5.

[86] I 6,17.

[87] III 24,64; IV 13,17.

[88] IV 5,26.

[89] I 6,5.

[90] I 15,19; 24,11.

[91] III 25,14.

[92] IV 3,6.

[93] IV 8,9.

[94] I 15,25.

[95] I 14,9.

[96] Alia exempla: I 6,5; 21,14; III 13,5; 16,14; 16,23; 24,2; 25,2; 25,6; 30,4.

sis ter voce enclitica — verbi copulativi forma, illo *est* scilicet — tertiam hemistichii prioris explevit arsin[97]. Prudentius in CCLXVIII versibus solam vocem monosyllabam ante caesuram posuit, eamque eandem ac Seneca encliticam *est*[98]. Itaque Seneca et Prudentius, qui ante caesuram nulla fere monosyllaba admittere solerent, facere non potuerunt, ut in tertia hemistichii prioris arsi synaloephas adhiberent. Ceteri paulo liberius monosyllabis ante versus incisionem occurrentibus sunt usi[99], synaloepham tamen in syllaba caesuram praecedente nemo nisi Terentianus semel[100] et Martianus Capella ter usurpare sunt ausi. Terentiani enim, ut iam supra exposui[101], minime interfuit versum certa incidi caesura. Apud Martianum autem id synaloephae genus in omnibus versibus reperitur, in quibus tmesis in caesura obvia vel monosyllabum ante caesuram positum conspicitur. In censum veniunt versus:

p. 52,9 *atque reum rabido absolvere pectore*
52,11 *soritas cumuli accessibus aggerans*
40,10 *ortus, praepositum in sidera tendere.*

Eum in modum ultima hemistichii prioris syllaba, quae natura sua in versibus modo allatis ad sequentia fertur, artius cum praecedentibus conectitur.

In tmesis usu multo liberiorem quam Martianus Horatius se praebuit, qui tmesi in versu II 12,25 admissa talem a voce composita separaret syllabam, quae synaloephae vinculo cum parte versus praecedenti copulari non posset. Ut res sit perspicua, versum hunc affero:

cum flagrantia detorquet ad oscula.

Tanta in caesura Asclepiadei minoris adhibenda licentia nemo posteriorum umquam est usus, apud quos nullum tmesis in caesura ad-

---

[97] Illud *est* enclisis vice fungitur et cum praecedentibus ita coalescit, ut pro duabus vocibus una fiat (conf. L. Muellerum, *l. l.* p. 165,466). Apud Senecam haec monosyllaba ante caesuram occurrentia inveni: *Tro.* 397 *nihil est*, *Thy.* 138 *satis est*, *Herc. Oet.* 166 *sat est*, *Herc. Oet.* 164 *quota pars.* Excusatione ne vocabulum *pars* quidem eget, quia voces *quota pars* artissime inter se cohaerent. *Phaedrae* versum 768 in codice Etrusco servatum: *languescunt folio ut lilia pallido* corruptam puto praebere lectionem; conf. infra, *Appendix* p. 134 sqq.

[98] *c. Symm.* I praef. 84: *huius, si potis est, iam miserescito.*

[99] Terentianus Maurus plurima ante caesuram admisit monosyllaba, conf. supra p. 117. Apud ceteros haec inveni exempla: Vestr. Spur.: *nox* (919,20); Severus: *id* (30), *est* (97), *hoc* (111); Mart. Cap.: *praepositum in* (p. 40, 10), *pretium est* (p. 52, 17); Luxorius: *te* (468,6; 477,7), *est* (510,5).

[100] v. 2699.

[101] p. 117.

missae exstat exemplum, ut quidem versus Martiani, quos supra attuli, omittam.

Si quis igitur Horatii placita primum in synaloephis medio versu usurpandis, deinde in monosyllabis ante caesuram adhibendis, denique in tmesi admittenda attento perpenderit animo, quantum sibi Horatius in versu Asclepiadeo minore componendo vindicaverit licentiae, plane cognoscet. Horatius certa versum distinxit caesura, qua caruerant poetarum Lesbiorum versus, nullam tamen adhibuit curam, ut evitarentur ea, quibus haec incisio obscuraretur. Severiores igitur poeta Venusinus tenuit normas quam poetae Lesbii, multo autem maiore usus est in versu componendo licentia quam poetae Romani aetate posteriores, qui Terentiano solo excepto rigidissimas in versus caesura tractanda observabant leges. Itaque acu rem tetigisse Heinzium apparet, cum in libello suo scriberet: *Mit seiner Normalisierung der Verse steht Horaz im allgemeinen Zuge der hellenistischen und römischen Verskunst*[102].

Simili modo ac versus Asclepiadei minoris caesura a poetis dactylicis pentametri incisio tractari videtur. Initio enim non defuerunt, qui in pentametri caesura elidere auderent. Unum synaloephae talis apud Lucilium exstat exemplum[103], saepius ea utitur Catullus[104], tribus in versibus Propertius[105], semel id synaloephae genus in *Consolatione ad Liviam* invenitur[106]. Deinde inde ab Augusti aetate frustra synaloepham talem poetarum quaesiveris in libris. Inter Christianos eo synaloephae genere perquam raro Ausonius, Paulinus, Martianus sunt usi; abstinuerunt autem synaloepha ista alii, qui in pentametri caesura syllabam brevem et hiatum admitti voluerunt, quibus adhibitis incisio magis fiebat perspicua[107]. Quae cum ita sint, non absonum erit suspicari pentametri speciem non eam fuisse, quae nihil conferret ad versum Asclepiadeum formandum.

Proximum est, ut nunc de synaloephis tractemus, quae in versus ultima occurrunt parte[108]. Synaloepharum admittendarum normas L. Mueller his verbis breviter est complexus: *primae partes mediis, mediae ultimis habentur liberius*[109]. Diligentissime igitur ultimam versus

---

[102] *l. l.* p. 90.

[103] v. 580 *Lucili Columella hic situ Metrophanes.*

[104] Quater decies (exempla collegit W. Kroll, *Catullus*², Leipz.-Berl. 1929, p. 221 ad v. 68,10 et p. 272 ad v. 99,8).

[105] I 5,32; II 14,10; III 22,10.

[106] v. 34.

[107] L. Mueller, *l. l.* p. 362 sq., Fr. Vollmer, *l. l.* p. 14.

[108] Conf. supra adn. 75.

[109] *l. l.* p. 363 (cf. supra adn. 24).

partem componi oportuit. Si tabulam supra propositam attentis perlustraverimus oculis, facile statuemus poetarum placita in ultima versus Asclepiadei parte tractanda cum Muelleri norma plane convenire. Horatio enim excepto, qui his locis aliquot admisit synaloephas[110], in duabus versus syllabis ultimis ne unus quidem poeta est ausus ullam per synaloepham imminuere vocem.

Versus Asclepiadei minoris pars prima multo maiore quam pars ultima in synaloephis admittendis fruitur licentia. In prima arsi tractanda[111], quo loco sola monosyllaba per synaloepham imminui posse luce est clarius, Martianus Capella audacissimum se praebuit, nam unus ex omnibus poetis synaloepham hoc loco adhibuit eamque durissimam, quae praesto est in versu hoc:

p. 40,16 *quae occultant adytis sacra latentibus.*

In prima thesi Horatius semel, ut iam supra monui[112], vocem per synaloepham decurtavit:

I 3,38 *caelum ipsum petimus stultitia neque.*

Seneca synaloepham talem pro prava habuit illicitaque atque prorsus eam a suis exclusit versibus. Prudentius unam eiusmodi synaloepham admisit[113]. Non effugerunt autem id synaloephae genus Terentianus Maurus et Martianus Capella, qui satis saepe in prima thesi voces per synaloepham imminuere solebant[114]. Credibile videtur ad synaloephas tales in versu Asclepiadeo minore admittendas maximi momenti et ponderis dactylicorum fuisse placita, qui synaloephas in prima hexametri vel pentametri thesi occurrentes minime, ut e Siedowianis perspicitur tabulis[115], evitabant. Dignum est quoque notatu dactylicorum hac in synaloepha adhibenda vestigiis posterioris demum aetatis poetas institisse eosque deteriores.

Tribus versus Asclepiadei minoris partibus, quae a poetis diligentissime componi solitae sunt, perspectis transeamus nunc ad normas statuendas, quas singuli poetae versu Asclepiadeo utentes in synaloephis admittendis observaverint. Horatius, ut iam vidimus, omnibus paene

---

[110] Conf. supra adn. 75.

[111] Conf. supra adn. 73.

[112] Conf. supra p. 122.

[113] *c. Symm.* I praef. 39.

[114] Synaloephae talis exempla his in versibus exstant: apud Terentianum v. 2658, 2661, 2691, 2793; apud Martianum p. 38,21; 39,21; 39,22; 40,13; 484,15; 484,17.

[115] Tabulae numero II signatae in censum veniunt. Conf. praeterea indicem metricum et prosodiacum in libro: *Sex. Propertii Elegiarum libri IV*[3], ed C. Hosius, Lipsiae 1932, p. 181.

versus locis synaloephas adhibuit. Senecam a duabus versus syllabis primis, duabus ultimis quattuorque mediis synaloephas prorsus exclusisse e tabula, quam supra proposui, perspicitur. Quattuor versus locis reliquis Seneca eadem paene synaloepharum admittendarum ratione est usus, quam eisdem locis in synaloephis adhibendis Horatius inierat; plures admisit Seneca synaloephas in arsi quam in thesi, nihil tamen eius interfuit, utrum in thesis syllaba priore an posteriore vocem per synaloepham imminueret; quod nihil esse nisi servilem fere Horatii imitationem dixerim. Prudentius quoque saepius in arsi quam in thesi voces synaloephae patere voluit; si vero synaloepham in thesi admisit disyllaba, ita eam rem egisse poetam apparet, ut semper in syllaba priore, numquam in altera vocem elideret. Synaloepha enim in altera thesis brevi occurrens satis caute etiam a poetis dactylicis adhiberi solebat[116]. Cum versus Asclepiadeus minor diligentius quam hexameter componendus esset, synaloepham in altera thesis brevi provenientem prorsus a versibus Asclepiadeis minoribus remotam esse Prudentius maluit. Observatu quoque non est indignum poetam Christianum tam diligenter hemistichium posterius conformavisse, ut ea in versus parte etiam synaloepham in thesis syllaba priore occurrentem non nisi semel admitteret[117]. A Vestricio et Terentiano et aliquot versibus exceptis etiam a Martiano et Luxorio synaloephae semper in longa admitti solebant. In thesi disyllaba etiam in eius syllaba priore voces per synaloepham perquam raro apud eos poetas imminuebantur[118]. Ad synaloephas adhibendas solum hemistichium prius magis magisque aptum putabatur, in posteriore autem versus parte vocabula per synaloepham decurtata nulla fere admittebantur[119]. Terentianum, Martianum, Luxorium, qui synaloephas a versus parte posteriore prorsus paene excluderent[120], dactylico-

---

[116] Quod e tabulis Siedowianis numero II signatis perspicitur.

[117] *c. Symm.* I praef. 23 *torpebat glacie pigra ubi vipera.*

[118] Martianus synaloepham in brevi his in versibus admisit:

p. 39,21 *quaeque elementa liget dissona nexio*

484,17 *atque ita perpes ament dissita vinculum.*

Apud Luxorium id synaloephae genus tres versus exhibent:

470,4 *credis tete aliquid laudibus indere*

515,7 *nemo iudicium tale animi gerit*

515,8 *pro te nota etiam gaudia deserat.*

[119] Conf. tabulam pag. 121 propositam.

[120] Terentianus et Martianus ne semel quidem in hemistichio posteriore vocem per synaloepham imminuerunt; Luxorius duas hac in versus parte adhibuit synaloephas, versibus scilicet: 468,6; 515,7.

rum placita imitatos esse putaverim, cum in pentametri dactylici hemistichio posteriore etiam satis raro synaloephae occurrere solerent[121].

Singularem in synaloephis adhibendis Severus videtur obtinere locum, nam una synaloepha excepta semper in priore thesis disyllabae brevi voces synaloephae subicere solet. Suis igitur utitur legibus in versibus pangendis et nullam adhibet curam, ut Horatii vel cuiusvis poetae vestigiis insistat.

Synaloepharum locis perspectis superest, ut de vocalium synaloephae subiectarum tractemus generibus. Facillime et saepissime vocales breves elidi posse, rarius syllabas medias, quae in litteram *-m* praecedente vocali exeunt, per synaloepham imminui solere, rarissimas autem et durissimas vocalium longarum synaloephas esse ex tabulis Siedowianis[122] patet.

Accedamus nunc ad synaloepham tractandam, quae ab antiquis pro longe durissima est habita; quae quidem occurrit, si finalem cuiusdam vocis vocalem longam brevis sequitur syllaba. Vocalium eiusmodi concursum antiquorum aures ita offendisse Mauritius Haupt docuit[123], ut summo opere resisterent poetae, ne longa syllaba cum brevi per synaloepham coagmentaretur, non ita tamen, ut exempla synaloephae talis prorsus desiderarentur[124]. Credat tamen quispiam inter poetas versu Asclepiadeo usos neminem fuisse, quin a versibus suis synaloepham tam duram excluderet, cum metra lyrica, quae vocantur, diligentius quam alia componi oporteret[125]. Et re vera apud Horatium, Senecam, Prudentium pariter atque apud minores illos Vestricium Terentianumque synaloepham talem frustra quaesiveris. Etiam Martianus Capella, maximae incuriae poeta, id synaloephae genus umquam fieri vetuit. Duo tamen fuisse scito poetas, qui in versu Asclepiadeo minore Hauptii migrarent normam, Severum scilicet et Luxorium. Severus in una eademque stropha bis vocalem productam in brevi elidere est ausus:

v. 61 sqq. *sed quis vera putet, progeniem quoque*
extinctam pariter? vidī ego cernuam

[121] L. Mueller, *l. l.* p. 362, Fr. Vollmer, *l. l.* p. 21, conf. praeterea Hosii indicem metricum et prosodiacum, *l. l.* p. 181.

[122] Tabulae numeris III, IV, V signatae in censum veniunt. Conf. praeterea L. Muellerum, *l. l.* p. 328 sq.

[123] *Opuscula*, Lipsiae 1875, vol. I, p. 88 sqq.

[124] Migratae legis exempla congesserunt M. Haupt, *l. l.* p. 88 sqq., L. Mueller, *l. l.* p. 343 sqq. Conf. praeterea tabulas numero V a Siedowio signatas.

[125] Exempli gratia Horatius multo diligentius *Carminum* hexametros quam *Epistularum et Satirarum* composuit. Conferas velim Siedowii tabulas ad Horatii artem metricam pertinentes, *l. l.* p. 32 sqq.

iunicem gravidam, vidi animas duas
uno in corpore perditas.

Inusitatae synaloephae forma idcirco a Severo adhibita esse videtur, quod in acerbo gregis interitu enarrando Severus Vergilii imitatus est artem, qui cum res audientium animos horrore afficientes depingeret, saepe vocabulum *vidi* adhibuisset per synaloepham imminutum[126].

Luxorius, versificator longe neglegentissimus, unum admisit versum cum Hauptii pugnantem norma:

470,4 *credis tete aliquid laudibus indere.*

Apparet igitur in versu Asclepiadeo minore minime Hauptianam violari legem, quia normae laesae non plura quam tria inveni exempla.

Synaloepha vocalis longae in longa multo saepius quam in brevi occurrere solet, ut é tabulis Siedowianis perspicitur[127]. Plerique tamen poetae versu Asclepiadeo utentes tam cauti in versibus pangendis fuerunt, ut etiam synaloepham vocalis longae sequente longa a versibus Asclepiadeis remotam esse voluerint. Apud Senecam, qui non nisi syllabas breves et medias synaloephae subici est passus, non est, cur dubitetur, quin synaloephas vocalium longarum a suis versibus prorsus excluserit[128]. Apud Horatium autem et poetas ceteros haud raro voces in illud *-o* finale exeuntes invenies, quae quominus synaloephae pateant minime resistere poetae videntur. Horatius quinquies id synaloephae genus adhibuit:

IV 3,24 *quod spiro et placeo, si placeo, tuom est*
I 21,14 *pestemque a populo et principe Caesare in*
III 16,14 *portas vir Macedo et subruit aemulos*
III 16,23 *nudus castra peto et transfuga divitum*
III 30,3 *quod non imber edax, non aquilo inpotens.*

---

[126] Conf. Verg. *Aen.*:

II 499 ***vidi*** *ipse furentem*
caede Neoptolemum geminosque in limine Atridas,
vidi ***H****ecubam centumque nurus Priamumque per aras*
sanguine foedantem quos ipse sacraverat ignis.

III 623 ***vidi*** ***e****gomet, duo de numero cum corpora nostro*
prensa manu magna medio resupinus in antro
frangeret ad saxum sanieque adspersa natarent
limina, ***vidi*** *atro cum membra fluentia tabo*
manderet et tepidi tremerent sub dentibus artus.

[127] Tabulae numero V signatae in censum veniunt.

[128] Quod ad *Phaedrae* v. 768 (*languescunt folio ut lilia pallido*) pertinet, conf. *Appendicem*, p. 134 sqq.

Si in illius *-o* finalis quantitate aestimanda eius pristinam adhiberes mensuram, Horatium longas vocales in versu Asclepiadeo minore synaloephae subiecisse iure dicere posses. Multis tamen observationibus est comprobatum et omnibus notum illud *-o* finale inde ab antiquissima aetate aliquando correptum apud poetas inveniri[129]. Primum enim vocum iambicarum illud *-o* finale breve est factum, quae sunt: *modo*, *ego*, *duo*. Deinde tertiae declinationis substantiva et verborum prima persona debilitatam illius *-o* finalis exhibuerunt mensuram. Quae vocabula apud Vergilium iam plena illius *-o* quantitate orbata esse vir doctissimus, magister meus optimus — Ladislaum Strzelecki dico — monuit[130], quamvis poeta Mantuanus nondum auderet illud *-o* pro brevi habere. Horatius iam eo est progressus, ut non dubitaret tertiae declinationis substantiva et primam verborum personam cum illo *-o* correpto aliquotiens adhibere. Cuius rei exempla his in versibus reperiuntur:

Sat. I 1,104 *cum veto te fieri vappam iubeo ac nebulonem*
Sat. I 4, 93 *lividus et mordax videor tibi? mentio si quae*[131].

In versu Asclepiadeo minore vocalium longarum synaloephas studiosissime Horatius evitavit, nulla tamen re impeditus esse videtur, quominus illud *-o* finale elideret. Itaque non modo tertiae declinationis substantiva et primam verborum personam synaloephae subiecit, sed etiam semel secundae declinationis ablativi formam, illud *populo* per synaloepham imminuit. Quae cum ita sint, non possum retineri, quin Horatium etiam secundae declinationis illius *-o* quantitatem pro paulo debilitata habuisse statuam. Dignum est tamen memoria vocum in *-o* desinentium synaloepham Horatium semper in arsi admittere solitum esse, in secunda scilicet et tertia arsi hemistichii prioris et secunda arsi hemistichii posterioris.

In Annaeanis trimetris iambicis Hartenberger multa illius *-o* finalis correpti invenit exempla[132]. In versibus Asclepiadeis componendis Seneca

---

[129] Quam rem L. Mueller tractavit, *l. l.* p. 413 sqq. Illius -o finalis historiam ab Ennio usque ad Iuvenalem R. Hartenberger est persecutus in libello: *De o finali apud poetas Latinos ab Ennio usque ad Iuvenalem*, Diss. Bonnae 1911.

[130] *Studia prosodiaca et metrica*, Rozpr. Wydz. Filol. Pol. Akad. Um., t. 68,3, Kraków 1949, p. 12.

[131] Alia exempla: *eo* (*Sat.* I 6,119), *volo* (*Sat.* I 9,17), *dixero* (*Sat.* I 4,104), *Pollio* (*Sat.* I 10,42; I 10,85; *Carm.* II 1,14). Conf. L. Muellerum, *l. l.* p. 414 sq. et R. Hartenbergerum, *l. l.* p. 39 sq.

[132] *l. l.* p. 65 sqq. Exempli gratia affero: *sero* (*Ag.* 993), *ascribo* (*Phoen.* 653), *complebo* (*Thy.* 22), *caligo* (*Thy.* 994), *lugendo* (*Herc. Oet.* 1862).

tam cautus fuit, ut illud *-o* finale neque corripere neque synaloephae subicere auderet[133].

Prudentius quater vocum in *-o* exeuntium synaloephas admisit, quae semper in secunda arsi occurrunt hemistichii posterioris:

Cath. V 31 *Moses nempe deum spinifero* ***in*** *rubo*
„ V 86 *persultare vetas, ut refluo* ***in*** *solo*
„ V 93 *instar fellis aqua tristifico* ***in*** *lacu*
c. Symm. I praef. 68 *solvendis adolent et senio* ***et*** *gelu.*

Temporibus, quibus Prudentius vixit, illius *-o* secundae declinationis mensuram iam valde debilitatam esse apparet, cum poeta Christianus in omnibus supra allatis versibus secundae declinationis ablativum per synaloepham imminui vellet[134].

Similiter atque Horatius et Prudentius etiam alii poetae versu Asclepiadeo utentes illud *-o* finale iam pristina proceritate orbatum synaloephae patere aliquotiens sunt passi[135].

Peculiari videtur dignum mentione Prudentium semel secundae declinationis genetivi illud *-i* finale synaloephae subicere ausum esse:

c. Symm. I praef. 72 *silvosi* ***inluviem*** *poneret idoli.*

Durior synaloepha magnam partem lenitur, quod eaedem vocales inter se committunt[136]. Non absonum quoque est suspicari etiam illius *-i* mensuram pro paulo debilitata Prudentium habuisse. Nullus enim apud Prudentium versus Asclepiadeus minor invenitur, qui illud *-i* finale in prima hemistichii prioris exhibeat thesi, quae longa syllaba explenda fuit. Illud *-i* genetivi Prudentius semper in arsi posuit, cuius vis pondus-

---

[133] *Phaedrae* versum 768 (*languescunt folio ut lilia pallido*) pro corrupto habeo; conf. infra *Appendicem* p. 134 sqq.

[134] Dignum videtur notatu Prudentium numquam in versibus Asclepiadeis minoribus illud *-o* secundae declinationis breve exhibuisse, cum adverbia et primam verborum personam et tertiae declinationis substantiva semper fere illo *-o* finali correpto adhiberet; illud *-o* breve in thesi positum legitur: *ergo* (*Cath.* V 25), *porro* (*Cath.* V 63), *offero* (*Cath.* V 155), *temo* (*Cath.* V 147), *praeco* (*c. Symm.* I praef. 1). Secundae declinationis illud *-o* finale Prudentius fere semper in arsi posuit; tres sunt tantum versus (*Cath.* V, 3, 16, 158), in quibus illud *-o* in prima hemistichii prioris legitur thesi, quo loco sola longa opus est syllaba.

[135] Omnia, quae inveni exempla, affero:
Terentianus 2660 *non uno* ***aut*** *gemino constiterit pede*
Severus 30 *mansuetudo* ***eadem****, robur idem fuit*
Mart. Cap. p. 40,13 *cunae* ***ergo*** *officiant quo nihil editae*
„ „ p. 52,9 *atque reum rabido* ***absolvere*** *pectore.*

[136] Conf. L. Muellerum, *l. l.* p. 331.

que labanti vocalis quantitati succurrere poterat. Praeterea probabile videtur Prudentium, qui numquam in versu Asclepiadeo minore vocales longas elidere soleret, illud *-i* finale synaloephae subiecturum non fuisse, si id pro longa habuisset vocali[137].

Syllabas longas, quarum quantitas nullam movet dubitationem, saepius elidere Martianus Capella et Luxorius soliti sunt. Qui tantum sibi in synaloephis adhibendis vindicaverunt licentiae, ut etiam monosyllaba synaloephae subicere non vererentur, quod synaloephae genus nemo poeta in versu Asclepiadeo minore admittere audebat. Apud Luxorium quinque conspiciuntur voces in vocales longas exeuntes, quas per synaloepham auctor imminuit: *te*[138], *tete*[139], *se*[140], *pro*[141], *Zenobi* (vocativus)[142]. Apud Martianum decurtata inveniuntur haec: *quae* (plur. neutr.)[143], *cunae* (nom. plur.)[144], quattuor genetivi formae: *Phoebi*[145], *mundi*[146], *fandi*[147], *cumuli*[148].

Versus, qui tam duras exhiberent synaloephas, numquam ex Horatii fluxerunt calamo; Horatiana igitur versus Asclepiadei minoris species prorsus depravata apud Martianum et Luxorium conspicitur, quorum versus manifesta iam signa artis labentis prae se ferunt.

Restat, ut de synaloepha syllabae finalis e vocali cum pedisequo *-m* constantis, quam Mueller mediam appellavit[149], pauca dicamus. Qua in syllaba elidenda tanta Horatius utitur libertate, ut apud eum eiusmodi synaloepha omnibus fere versus locis reperiri possit[150]. Poetae aetate posteriores nonnullos tantum versus locos ad medias voces elidendas aptos esse putaverunt. Apud Senecam voces in litteram *-m* praecedente vocali exeuntes nullo alio versus Asclepiadei loco synaloephae subici possunt nisi secunda in arsi hemistichii prioris, exempli gratia:

Herc. Fur. 545 *et peltam et nivei vincula pectoris*[151].

---

[137] Audi Vollmerum, *l. l.* p. 20: „*angelŏ*" *und* „*regnŏ*" *erst späte Christen, die auch vor der Kürzung von Abl. -a oder -u und Gen. -i nicht zurückscheuen.*

[138] 515,8.

[139] 470,4.

[140] 510,2.

[141] 443,9.

[142] 470,2.

[143] p. 40,16.

[144] p. 40,13.

[145] p. 40,1.

[146] p. 40,12.

[147] p. 52,13.

[148] p. 52,11.

[149] *l. l.* p. 329.

[150] Syllabae mediae synaloepham abstinuit Horatius a hemistichii prioris prima arsi et secundae thesis syllaba altera et hemistichii posterioris syllaba ultima.

[151] Alia exempla: *Herc. Oet.* 155, *Ag.* 591, *Ag.* 615.

Eodem ac Seneca loco Prudentius syllabas medias elidere solitus est[152], una synaloepha excepta, quam poeta Christianus in secunda arsi hemistichii posterioris in versu hoc admisit:

Praef. 35 *peccatrix anima stultitiam exuat.*

Similiter ac Prudentius etiam alii poetae voces medias duobus semper versus locis synaloephae patere voluerunt. Terentianus id synaloephae genus in prima thesi[153] et secunda arsi[154] hemistichii prioris admisit. Martianus voces medias in secunda[155] et tertia[156] hemistichii prioris arsi per synaloepham imminuit. Luxorius in secunda arsi hemistichii prioris[157] et posterioris[158] syllabas medias synaloephae subiecit. Vestricius autem et Severus vocem mediam per synaloepham cum vocabulo insequenti umquam coalescere vetuerunt. Sane igitur est perspicuum vocum mediarum synaloephas saepissime in secunda hemistichii prioris occurrere arsi, quae pro aptissima ad synaloephas adhibendas habita est[159]. Nemo autem poetarum solo Horatio excepto est ausus vocem mediam in thesi elidere.

Hoc loco subsistere liceat et in breve cogere ea, quae de synaloepharum in versu Asclepiadeo minore usu supra exposui. Itaque cautissimum in synaloephis admittendis Seneca se praebuit, qui non solum rarissime in versu Asclepiadeo voces synaloephae subicere soleret, sed etiam synaloephis talibus uteretur, quae Romanorum aures minime offendere possent. Dixerit quispiam versus Annaeanos severissima esse castigatos lima. Horatium Seneca studiosissime est imitatus et nihil ausus nisi ea, quae a poeta Venusino saepissime adhiberi solita erant. Quae autem Horatius rarius admiserat, ea Seneca pro vetitis habuit. Multo maiore in synaloephis adhibendis Prudentius usus est licentia, quamquam vix ambigendum puto, quin poeta Christianus, cum versus Asclepiadeos pangeret, etiam Horatii placita ante oculos habuerit. Nullum enim apud Prudentium synaloephae invenitur genus, quod apud Horatium desideretur, illius *-i* finalis genetivi synaloepha excepta, cui tamen quantitate illius *-i* debilitata excusatio paratur. Ceteri non tantam

---

[152] *Cath.* V 36, 66, 112; *c. Symm.* I praef. 25, 54, 78, 85.

[153] v. 2661, 2691.

[154] v. 2678.

[155] p. 38,18; 39,5; 485,2.

[156] p. 40,10.

[157] 468,8; 477,2; 510,4.

[158] 468,6.

[159] In secunda arsi saepissime usi sunt synaloephis etiam poetae dactylici; conf. Siedowii tabulas numero II signatas.

adhibuerunt curam, ut Horatii insisterent vestigiis: quo fit, ut discrimen grave inter Horatii et eorum artem intercedat. Ut enim in synaloepharum locis eligendis ita in earum generibus admittendis non Horatium secuti sunt ducem, sed suis usi sunt legibus et versum Asclepiadeum saepissime similiter ac pentametrum dactylicum composuerunt. Curavisse tantum illi poetae videntur, ut synaloephae semper in arsi occurrerent vel in thesis syllaba longa. Audacissimi in versu Asclepiaedo formando Martianus Capella et Luxorius fuerunt, qui monosyllaba et voces polysyllabas in longas desinentes vocales synaloephae subicere auderent. Non est obliviscendum — id quod in priore huius commentarioli parte exposui[160] — Martianum et Luxorium satis raro versus basin spondiaca explere voce solitos esse, ergo versum Asclepiadeum pentametro similem composuisse. Quantopere apud illos poetas, qui non nisi paucos versus Asclepiadeos scripserunt, ad eos versus formandos pentametri species valuerit, etiam e synaloepharum usu est perspicuum. Admittebantur enim ab eis poetis multae synaloephae in prima hemistichii prioris thesi, excludebantur autem a versus hemistichio posteriore, quae res longe aliter se habebat apud Horatium et Senecam et Prudentium. Rationem, quae inter versum Asclepiadeum minorem et pentametrum inde ab Horatii aetate usque ad Luxorium intercedat, hunc in modum brevissime amplecti possumus: Horatius versum Asclepiadeum minorem ita composuit, ut metrum id speciem a pentametro dactylico longe diversissimam acceperit. Apud nonnullos posteriorum temporum poetas, imprimis eos, qui rei metricae minime erant periti, ad versum Asclepiadeum componendum pentametri forma maximi fuit momenti[161]; quo factum est, ut eorum poetarum eadem essent in versu Asclepiadeo minore pangendo placita, quae poetarum dactylicorum in pentametris formandis propria erant.

Appendix

Unus apud Senecam exstat versus in codice Etrusco servatus, qui synaloepham exhibet ab Annaeana arte valde abhorrentem, *Phaedrae* versum 768 dico:

languescunt folio ut lilia pallido.

Recensio A, quam interpolatam viri docti nuncupare solent, in versu hoc nullam praebet synaloepham; quo fit, ut lectio sana et nullo

---

[160] p. 18 sq.

[161] Ita Terentianus, cum versum Asclepiadeum minorem ex pentametro ortum esse negaret, synaloephas eisdem locis in versu Asclepiadeo adhibuit, in quibus eae in pentametro dactylico saepissime admitti solebant.

pacto sollicitanda esse videatur. Quo magis res sit perspicua, totam necesse est afferri sententiam sic fere recensione A traditam:

Phae. 764 sqq. *non sic prata novo vere decentia*
aestatis calidae despoliat vapor,
saevit solstitio cum medius dies
et noctes brevibus praecipitant rotis,
768 *languescunt folio lilia pallido*
769 *et gratae capiti deficiunt rosae,*
ut fulgor teneris, qui radiat genis
momento rapitur nullaque non dies
formonsi spolium corporis abstulit.

Codex Etruscus versuum 768 et 769 hanc exhibet lectionem:

languescunt folio ut lilia pallido
et gratae capiti deficiunt comae,

quo fit, ut tota sententia codice hoc tradita ex sensu laboret.

Codici tamen Etrusco tantam Senecae editores tribuerunt fidem, ut sanam recensionis A lectionem prorsus neglegerent. Leo lectionem E in versibus 768 et 769 constituendis recepit, claudicanti tamen sensui ut succurreret, facere non potuit, quin v. 770 codicum consensu traditum illud *ut* in *et* mutaret. Peiper lectionem A recipere voluerat[162], cum tamen diem supremum obisset, Richter versu 769 lectione E approbata versum 768 hunc in modum emendavit:

languescunt folio et lilia pallido.

Ut comparationis partes perspicuae fierent, coniunctionem *et* consensu codicum v. 769 traditam in *ut* mutavit, versu autem 770 pro *ut* vocabulum *et* posuit. Leonis et Richteri editiones secuti sunt his in versibus constituendis editores recentiores, Moriccam et Herrmannum dico[163].

At Carlsson probavit[164] non codicem E, sed recensionem A rectam versu 769 exhibere lectionem, qua de causa non vocem *comae* sed

---

[162] Conf.: *L. Annaei Senecae Tragoediae*, rec. R. Peiper et G. Richter, Lipsiae 1902, p. XXXII (Conspectus lectionis Peiperianae).

[163] G. Carlsson, *Die Überlieferung der Seneca-Tragödien, Eine textkritische Untersuchung* (Lunds Univ. Arsskrift, N. F.; Avd. 1, Bd. 21, Nr 5), Lund-Leipzig 1926, p. 76 sq.; L. Herrmann, *Sénèque, Tragédies*, I, Paris 1924. Moriccae librum inspicere non potui.

[164] *l. l.* p. 32 sqq.

rosae in textum esse recipiendam[165]. In versu 768 recensendo Carlsson Richteri recepit coniecturam, nota tamen addita monuit lectionem A versu 768 obviam non esse talem, quae sperneretur necesse esset.

Senecae synaloepharum usu accuratissime indagato temperare mihi non possum, quin et lectionem codicis Etrusci versu 768 *Phaedrae* occurrentem et Richteri coniecturam valde a Senecae arte metrica abhorrere statuam. Sive lectione E sive Richteri emendatione adhibita tres migrantur normae, quas Seneca in versu Asclepiadeo minore componendo studiosissime observavit, quae sunt:

1) In tertia arsi hemistichii prioris synaloepha occurrere nequit[166].

2) Illud *-o* finale synaloephae numquam subicitur[167].

3) Coniunctiones monosyllabae, quae natura sua ad sequentia feruntur, ante caesuram adhiberi non possunt[168].

Quae cum ita sint, etiam *Phaedrae* versu 768 lectio recensionis A est probanda et versus aeque ac sequentes nulla eget emendatione.

Plurimis exemplis congestis Carlsson demonstravit interpolatam quae dicitur recensionem incorruptam pro Etrusci corrupta persaepe praebere lectionem, qua de causa in Senecae tragoediis recensendis codices A minime esse neglegendos[169]. Carlssonum acu rem tetigisse etiam *Phaedrae* versus 768 est nobis documento.

Wratislaviae

Additamentum: Qui apud Ausonium (*Ep.* VII 2,36 sqq.) et Boëthium (*Ph. C.* II 2, III 8) leguntur Asclepiadei minores, tam pauci sunt (viceni singuli v.), ut de eorum arte nihil certi colligi possit. Verbo admoneo vocem spondiacam Ausonium in versus capite septies (33,33%), Boëthium sexies (28,57%) posuisse, neutrum ante caesuram monosyllabum adhibuisse, synaloepham apud illum nullam inveniri, apud hunc syllabam mediam in secunda hemistichii prioris arsi semel (III 8,3) synaloephae subiectam esse.

---

[165] Eandem ac Carlsson lectionem adhibuit K. Kunst, *Seneca, Phaedra, hrsg. u. erläut.*, Wien 1924. Non contigit mihi, ut Kunstii editionis possem invenire exemplar. De *Phaedrae* versu 769 a Kunstio constituto A. Klotz tractavit: Philologische Wochenschrift 45 (1925) col. 1032.

[166] Cf. supra p. 124.

[167] Cf. supra p. 129 et 130 sq.

[168] Cf. supra p. 123 sq.

[169] Cf. Carlsson, *l. l.* p. 45: *Die A-Rezension zeigt in ihren nicht überarbeiteten Partien ein vielfach ursprüngliches und treueres Gepräge als der Etruscus. Die Senecatragödien liegen uns also nicht in einer reinen und einer interpolierten Fassung vor, wie man es seit Gronov bis Leo immer nachdrücklicher verfochten hat, sondern in zwei Überlieferungen, die beide stark interpoliert sind.*

DE ANTIQUISSIMO ROMANORUM SACRILEGIO
(Livius XXIX c. 6—9. 16—22)

Scripsit
BARBARA KRYSINIEL-JÓZEFOWICZOWA

Livius lib. XXIX c. 6—9 et c. 16—22 res, in quibus exponendis a veritate deflexisse videtur, narrat: Hannibal magnam partem Italiae invasionibus et terrore tenet. Scipio Maior victor ex Hispania reversus consulatum petit. Populus senatu adversante Scipionem consulem creari iubet. Anno 205 Scipio consul in Siciliam provinciam proficiscitur, ut copias ad invadendam Africam colligat atque exerceat. Quo facto bellum, quod adhuc Italiam omni acerbitate premebat, in hostium terram translaturus est.

Sed priusquam expeditio in Africam fiat, Scipio a consilio, quod ut perficeretur, omnibus viribus intendebat, paulisper declinat et prospera fortuna Locros occupat. Quibus occupatis praesidium Romanorum cum Pleminio legato relinquit. Praeter Pleminium duo tribuni militum adsunt. Pleminius oppidum, cuius incolarum pars sua sponte in dicionem Romanam rediit, hostili modo vastat incolisque vim atque iniurias infert. Audacia vero scelerati hominis usque eo processit, ut thesauros e templo Proserpinae auferre non dubitaverit.

Dum milites Romani inter se de praeda atque rapinis certant, disciplina eorum in dies dissolvitur. Res eo venit, ut aliquando Pleminius ipse in eius modi certamen incideret. Cum unus ex eius militibus poculum argenteum ex oppidani cuiusdam domo abstulisset isque raptorem persequeretur, tribuni militum ei obviam venerunt et poculum ademerunt. Fit proelium inter milites Pleminii et tribunorum. Proturbati milites Pleminii adeunt eum querentes de iniuriis sibi a militibus tribunorum illatis. Pleminius tribunos virgis caedi iubet. Tum tribunorum milites indignatione atque ira capti in Pleminium, Scipionis legatum, impetum faciunt. Laceratum abscisis auribus naribusque fere exanimem proiciunt.

Scipio de his rebus certior factus Messana Locros contendit, ut omnibus, quae facta sunt, cognitis iudicium suum faciat. Quod Pleminio benignum — Scipio eum intactum ducem praesidii reliquit — at tribunis militum minime gratum fuit. Nam Scipio decrevit, ut vincti Romam ad senatum mitterentur.

Nihilo minus Pleminius sibi non satisfecisse Scipionem existimans tribunos cruciatibus omnibus subiectis interfecit atque sepeliri vetuit.

Simili modo Locrenses, qui Scipionem de suis iniuriis certiorem fecerant, ultus est.

Nunc Locrenses satis superque perpessi sibi videntur atque legatos Romam questum mittunt. Omnium criminum Pleminio datorum gravissimum sacrilegii crimen est. Pleminius enim e templo Proserpinae thesauros abstulisse arguitur. Legati neminem adhuc dicunt id facere ausum esse nisi Pyrrhum, quem graviter ipsa dea pro scelere ulta esset et navibus eius tempestate ad terram adpulsis suos thesauros recuperavisset.

Cum legati Locrensium peroravissent, Q. Fabius ex eis quaesivit, an Scipionem de his rebus certiorem fecissent. Quod legati concesserunt, sed Scipionem expeditioni in Africam totum ita se dedisse monuerunt, ut talibus rebus minime vacaret. Ceterum se iam illo tempore cognovisse, quanto in honore apud Scipionem Pleminius esset, cum propter pugnam eius cum tribunis commissam Scipio graviter in solos tribunos animadvertisset, quamvis eius culpa non minor quam tribunorum fuisset.

Postquam legati discesserunt, criminibus vehementibus non solum in Pleminium, sed etiam in Scipionem invehuntur patres. Cuius gravissimus adversarius Q. Fabius exstitit. Fabius postulat, ut Pleminius vinctus Romam ducatur atque in iudicium vocetur, Scipio autem ex Sicilia revocetur et magistratu abire cogatur. Praeterea Fabius refert, ut deae dupla pecunia restituatur utque piacularia fiant.

Et quamquam patres diu de hac re deliberabant, sententia eorum vicit, quibus rem solito modo agi placuit. Decernitur legatio e praetore, tribunis plebis, aedile et decem senatoribus composita, quae primum Locros proficiscatur atque de omnibus, quae facta sunt, sceleribus, an voluntate iussuque Scipionis facta sint, quaestionem instituat: si Scipionis culpa manifesta fuerit, ipsum Romam ducendum esse, si minus, consiliis eius liberum arbitrium relinquendum.

De Pleminii exitu varie traditur. Sunt, qui Pleminium auditis rebus de se Romae constitutis cum Neapolim in exsilium proficisceretur, ab uno ex senatus legatis, cui obviam venisset, Regium deductum esse dicant, alii vero a Scipione ipso legatum cum equitibus missum esse, ut Pleminium cum consciis in vincula conicerent, tradunt. Utcumque fuit, dubium non est, quin Pleminius eiusque adiutores Regii in carcerem conditi sint.

Quaestione Locris habita Pleminius omnium scelerum convictus est; quod vero Scipionem attinet, Locrenses dixerunt se illum, quamvis suas iniurias parum curavisset, potius amicum quam inimicum habere velle; persuasum sibi habere neque iussu neque voluntate Scipionis —

quae verba apud Livium aliquotiens repetuntur — tot tam nefaria facinora commissa esse.

Quo factum est, ut Scipio criminibus absolveretur. Ceterum legatio ipsa Scipioni minime adversa fuit, cum ei M. Pomponius Matho, consobrinus illius, praeesset. Cum legati Scipionem a culpa sacrilegii liberavissent, in Siciliam profecti sunt, ut ipsi ea, quae Romae de disciplina Scipionis militum narrabantur, investigarent. Pleminius autem cum triginta duobus consciis Romam mittitur, qui ibi in vincula coniecti sunt. Nunc ipsa Livii verba audiamus narrantis, quo modo rei a populo Romano accepti sint, XXIX 22, 7—10:

> *Pleminius quique in eadem causa erant, postquam Romam est ventum, extemplo in carcerem conditi, ac primo producti ad populum ab tribunis apud praeoccupatos Locrensium clade animos nullum misericordiae locum habuerunt. postea cum saepius producerentur, iam senescente invidia molliebantur irae, et ipsa deformitas Plemini memoriaque absentis Scipionis favorem ad vulgum conciliabat. mortuus tamen prius in vinclis est, quam iudicium de eo populi perficeretur.*

Quo ex loco cum Pleminium in magno favore apud Scipionem fuisse apparet, tum etiam eum esse mortuum, antequam fieret iudicium, accipimus. Sed quonam modo Pleminius mortuus sit, minime nobis adhuc notum est.

Cuius rei testimonium affert ipse Livius, qui postquam Pleminii mortui mentionem fecit, addit etiam haec, XXIX c. 22,10:

> *hunc Pleminium Clodius Licinus in libro tertio rerum Romanarum refert ludis votivis, quos Romae Africanus iterum consul faciebat, conatum per quosdam, quos pretio corruperat, aliquot locis urbem incendere, ut refringendi carceris fugiendique haberet occasionem; patefacto dein scelere delegatum in Tullianum ex senatus consulto.*

Qui locus quamquam in editione, quam Luchs curavit, tamquam interpolatus e textu eiectus est, cuius sententiam Wodrig[1] et Holzapfel[2] secuti sunt, tamen mihi rationi a Livio in conscribenda historia adhibitae haud repugnare videtur.

Livius usque ad hunc locum in Pleminii sceleribus depingendis unum auctorem secutus est. Quem Coelium Antipatrum fuisse concludi

---

[1] Jahrb. f. klass. Phil. 1881, 197.

[2] Nescio, quid Holzapfel in Rivista di Storia Antica de hoc loco censuerit.

debet[3]. Sed Livio res gestas Romanorum describenti multos libros ad manum fuisse non ignoramus. Ita accidit, ut ab eo Clodius Licinus eiusque annales, in quibus res de Pleminio supra narratae fuerunt, excerperentur.

Saepe fit, ut Livii fontes de eisdem rebus non eadem vel plane diversa tradant. Quod quotienscumque accidit, Livius, praesertim cum e fontibus suis nihil certi enucleare possit, ea, quae apud varios auctores invenit, nulla re mutata tradit. Quae ratio scribendae historiae efficit, ut errores cum in rebus ipsis tum in earum compositione vitari non possint[4]. Ita occurrunt nobis non raro apud Livium loci congeminati. Eadem res saepe eisdem fere verbis tractata iterum repetitur. Cum res gestae certo tempore agantur, fieri non potest, quin earum tempora repetitione confundantur.

Ea de causa de Pleminio eiusque exitu apud Livium bis, id est in libro XXIX (anno 204) atque in libro XXXIV (anno 194) legimus. Hic denuo fama de Pleminio e carcere evadere conante redit. Huc accedunt etiam verba de eius in carcere morte facta, XXXIV c. 44,8:

ea res indicio consciorum palam facta delataque ad senatum est. Pleminius in inferiorem demissus carcerem est necatusque.

Quae omnia narrata de temporibus, quibus Pleminius mortuus est, a veris rationibus quam maxime abhorrere videntur. Primum Pleminium tam diu in carcere sine iudicio retentum esse difficile est credere. Nam ut e primo loco allato comparet Pleminium Romam anno 204 missum atque in carcerem conditum esse, sic e loco altero et tertio Pleminium etiam anno 194 vixisse accipimus. Quis autem est, qui credat civem Romanum sine iudicio decem annos in carcere Romae custoditum esse?

Praeterea consilia eius, quae anno 194 cepit, parum intellegi possunt e condicionibus, quibus vivit, quae tamen temporibus coniurationis Catilinae quam maxime accommodata videntur. Nam socii Catilinae urbem incendere atque bellum civile, ut rerum potirentur, movere in animo habebant. Sed antequam sua consilia perficerent, comprehensi — sicut Pleminius — atque in Tulliano necati sunt. Quae cum ita sint, omnia a Livio ipso eiusque fontibus de Pleminii morte tradita ficta esse dici-

---

[3] Klotz in libro: *Livius und seine Vorgänger*, 1942, cuius opiniones ex recensione M. Gelzeri in Gnomone (1942) mihi notae sunt.

[4] Cf. Hesselbarth, *Historisch-kritische Untersuchungen zur Dritten Dekade des Livius*, Halle 1889.

mus. Attamen loci allati nos multa docent, cum exempla, quomodo annalium scriptores res sibi bene cognitas ad antiqua et remota transtulerint, suppeditant.

Cum de Pleminii morte nihil certius traditum sit, tamen non est dubium, quin in carcere mortuus sit, prius quam iudicium de eo perficeretur. Nescio an mors Pleminii peropportuna fuerit eis, qui summis viribus, ne res cum sacrilegio coniunctae palam fierent, contendebant.

Quae nobis Livius de Locris occupandis occupatisque narrat, multis locis obscura vel certe e pristino conexu erepta videntur. Sequitur, ut scriptorem Romanum pro veris ficta aut ab aliis rebus derivata substituisse concludamus. Cui tamen narrationi cum verum fundamentum subiaceat, quaedam a Livio praetermissa vel commutata liceat nobis restituere.

Primum quaerimus, quonam consilio Scipio Locros occupaverit. Nam haec res apud Livium sane in obscuro latet, immo vero et verae causae oppidi occupandi desunt et ea, quae occupationem antecedunt, veri similia non videntur. Initio libri XXIX Livius exponit, quid Scipio ad praeparandam expeditionem in Africam susceperit, tum ita pergit enarrare c. 6,1:

> *post reditum ex Africa C. Laeli et Scipione stimulato Masinissae adhortationibus et militibus, praedam ex hostium terra cernentibus tota classe efferri, accensis ad traiciendum quam primum intervenit maiori minor cogitatio Locros urbem recipiendi.*

Illud dignum est, quod observemus Scipionem rem tam magni momenti, ad quam tot subsidia tantasque copias iam collegit, subito omittere, ut Locros recipiat, quod — ut Livii utar verbis — *maiori minor cogitatio intervenit.* Quod ut perficiat, primum tribunos militum ex Sicilia in Italiam mittit. Cum vero res in discrimen magnum venerit, ipse cum navibus Locros contendit. Quo animo milites, qui nihil aliud nisi expeditionem in Africam exspectabant, eum in Italiam revertentem secuti sunt? An sperabant fore, ut praeda onusti etiam ex hac expeditione reverterentur? Quod ad eorum ducem attinet, Scipio profecto temporibus coactus ad rem accessit.

Polybius enim eum nullam rem inutilem temere sua sponte suscepisse docet. Legimus apud hunc scriptorem X 2 de Scipione:

> ὅτι δ' ἕκαστα μετὰ λογισμοῦ καὶ προνοίας ἔπραττε, καὶ διότι πάντα κατὰ λόγον ἐξέβαινε τὰ τέλη τῶν πράξεων αὐτῷ, δῆλον ἔσται διὰ τῶν λέγεσθαι μελλόντων.

Tum allatis eis, quae Scipio in Hispania gesserat, addit c. 6:

> οὐδὲν (scil. quod Scipio fecerat) ἦν χωρὶς ἐκλογισμῶν τῶν ἀκριβεστάτων.

Scipio nisi rationibus subductis nulla consilia inibat, c. 7:

> οὐ τῇ τύχῃ πιστεύων, ἀλλὰ τοῖς συλλογισμοῖς.

Cum Scipio se in Hispania virum prudentem atque providentem praestiterit, non est, cur eum etiam in Sicilia eodem ingenio fuisse negemus. At quod ad eam rem pertinet, Scipio consilium, quod ei potius impedimento quam adiumento ad expeditionem in Africam futurum esset, suscepit. Scipio Locris occupatis non solum nullum emolumentum inde cepit, sed etiam rem eo adduxit, ut parum abesset, quin a senatu ex Sicilia revocaretur.

Itaque quaerendum est, quare eius tanti interfuerit, ut Locri occuparentur. Nam Scipionem id solum egisse, ut Locros nulla alia re cogente occuparet, neutiquam nobis persuadebimus. Quod clarius erit, cum tempora, quibus Scipio consilium recipiendi Locros ceperit, accuratius tractanda susceperimus.

Postquam Scipio anno 206 ex Hispania victor Romam revertit consulatum petiturus, senatum suis consiliis quam maxime adversantem invenit. Quamquam Scipio populo adiuvante consul creatus est, senatus tamen eius consiliis, ut bellum in Africam transferretur, restitit. Ita Scipio Siciliam provinciam cum triginta navibus obtinuit, cum Romani alio tempore eandem provinciam centum vel pluribus navibus custodire solerent. Milites ei nisi voluntarios conscribere non licuit. Quod ad ipsam expeditionem pertinet: *permissumque, ut in Africam, si id e re publica esse censeret, traiceret* (Liv. XXVIII 45,8). Valerius Maximus fortasse eisdem fontibus usus, e quibus Livius sua sumpsit, scribit haec: *nec minus animosus minusve prosperus illius in Africam transitus, in quam ex Sicilia exercitum senatu vetante transduxit* (III 6). Ceterum senatus Italia magnis cladibus pervastata ad summam omnium rerum inopiam redactus Scipionem parum adiuvare potuit[5]. Nihilominus Scipio senatu invito expeditionem in Africam proprio periculo comparaturus erat. Imprimis adiit suo nomine civitates Tuscas, ut sibi materiam ad naves aedificandas suppeditarent, tum ut frumento, rebus necessariis armisque milites suos instruerent. Cum in Siciliam venisset, artificio

---

[5] Cf. M. Gumowski, *Operacje finansowe Rzymu w czasie II wojny Punickiej*, Kraków 1918.

quodam effecit, ut trecenti Romani equis armisque a Siculis instruerentur.

Qui rerum status a Livio initio libri XXIX narratus cum a veris rationibus abhorreat, tamen sine dubio ad difficultates, quae Scipioni expeditionem in Africam paranti superandae fuerunt, spectat. Cum Scipioni opes ad expeditionem parandam deessent, omnis via, ut eas supleret, ingredienda erat.

Sed de Scipione in Sicilia expeditionem comparante longe alia Plutarchus tradit. Cum apud Livium Scipio inopia impediatur, quominus in Africam statim traiciat, apud Plutarchum eundem Scipionem opibus abundare legimus. Qui in vita Catonis (III 25) narrat, quae sequuntur: Cato quaestor cum Scipione in Siciliam profectus est. Sed ubi animadvertit, qua levitate Scipio pecuniae non parceret (ὡς ἑώρα τῇ συνήθει πολυτελείᾳ χρώμενον τὸν ἄνδρα καὶ καταχορηγοῦντα τοῖς στρατεύμασιν ἀφειδῶς τῶν χρημάτων), aegre id ferens, altercatus cum Scipione eum reliquit atque Romam revertit. Post reditum vero prima occasione oblata in senatu Scipioni φθοράν τε χρημάτων ἀμυθήτων crimini dabat.

Quod testimonium cum eis, quae Livius de Scipione expeditionem parante tradidit, sane pugnat. Cum apud Livium Scipioni omnia desint, apud Plutarchum Scipio non solum pecunia non eget, sed etiam adeo ea abundat, ut innumerabiles opes perdere possit. Quaeritur, quomodo utrumque testimonium cum vero rerum statu consociari possit, nam in verbis utriusque scriptoris aliquid veri inesse pro certo accipi potest. Quoniam vero uterque scriptor de Scipione in Sicilia anno 205 commorante dicit, fieri non potest, quin quodam temporis intervallo Scipionem opes sibi necessarias paravisse concludatur. Ita nunc redeundum est nobis eo, unde aberravit oratio nostra.

Scipionem ex Sicilia in Italiam profectum Locros occupavisse iam vidimus; at partes, quas Scipio in rebus Pleminio attributis egit, adhuc obscurae sunt. Iam statim a principio ignoravimus, cur Scipio Pleminium admonuisset, ut rei agendae Locris adesset, cum eodem duos tribunos militum misisset, ut in libro XXIX 6,9 legimus:

> *tribuni militum cum iis M. Sergius et P. Matienus missi iussique ab Regio tria millia militum Locros ducere; et Q. Pleminio propraetori scriptum, ut rei agendae adesset.*

Qui simulatque iussu Scipionis rebus interesse coepit, multa adversa et ei et tribunis militum acciderunt. Et quamquam non solus Pleminius militibus praefuit, sicut a Livio accipimus, tamen multo maio-

rem potestatem ei quam tribunis fuisse negari non potest. Inde impunis e Proserpinae templo thesauros aufert, oppidum spoliat, efficit, ut disciplina militum labefactetur, quibus eius facinoribus Scipio indulgere videtur.

Atque id quidem apparet ex eo loco, quo legimus Scipionem auditis eis, quae Locris fierent, ipsum rebus intervenisse. Tribunos propter crimina Romam mitti iussit, cum Pleminius omni culpa absolutus esset. Quae res nisi favore ducis in suum legatum explicari non potest. Quis est, qui Pleminium Scipionis ministrum, per quem ille sua consilia ageret, fuisse neget.

Quae res non effugit Diodorum, qui omnia rationibus verissimis secum coniuncta exponit (XXVII 5 sq.):

> ἡ δὲ σύγκλητος τῶν Ῥωμαίων διὰ τὴν ἱεροσυλίαν οὐ μετρίως ἐδεισιδαιμόνει. οἱ δὲ ἀντιπολιτευόμενοι τῷ Σκιπίωνι καιρὸν εὑρόντες οἰκεῖον διαβολῆς κατηγόρουν αὐτοῦ, λέγοντες, ὡς ἀπὸ τῆς ἐκείνου γνώμης ἅπαντα πέπραχεν ὁ Πλημίνιος.

Apud Diodorum culpa sacrilegii imprimis Scipioni ab adversariis eius obicitur, quod Pleminius ex sententia ducis sui egerit. Scipio vero nisi sibi e facinore legati quasdam utilitates futuras esse prospexisset, permittere, ut id fieret, non poterat.

Frustra Livius eiusque auctores rem obscurare cupiunt, quod apparet e Livii verbis, qui senatum legatis Locrensium auditis statim — nondum quaestione de sacrilegio habita — pecuniam deae ablatam duplam restituere narrat, quamvis Romanorum aerarium propter continua bella exhaustum sit.

Etiam Pleminii partes ad rem ipsam explanandam parum prosunt. Qui cum inter omnem quaestionem de facinore taceat, utrum tacere iussus sit an loqui non potuerit, diiudicare non possumus. Diodorus quidem eum ita laceratum esse dicit, ut ne si vellet quidem, loqui posset (XXVII 4):

> οἱ δὲ χιλίαρχοι τοῦτον δόντες ἐπὶ γῆν τά τε ὦτα περιέτρωγον αὐτοῦ καὶ τὴν ῥῖνα, πρὸς δὲ τούτοις καὶ τὰ χείλη διέσχισαν.

Morte sua denique Pleminius res sceretas non solum non aperuit, sed etiam eas ad nihilum recidere coegit.

Occulta enim quaedam tempora cum sacrilegio coniuncta fuisse docet etiam alius locus. In libro XXXI 12,1 sqq. legimus denuo de sacrilegio, quod anno 200 factum esse traditur:

> *litterae deinde in senatu recitatae sunt Q. Minucii praetoris, cui Bruttii provincia erat: pecuniam Locris ex Proserpinae thensauris*

nocte clam sublatam, nec ad quos pertineat facinus vestigia ulla exstare. indigne passus senatus non cessari ab sacrilegiis, et ne Pleminium quidem, tam clarum recensque noxae simul ac poenae exemplum, homines deterrere.

Quem locum contaminatum ex aliquot fontibus esse vix negabis, praesertim cum locos de Pleminii morte supra allatos in memoriam revocaveris. Weissenborn-Müller in editione Livii commentario instructa id antiquissimum Romanorum sacrilegium fuisse monent, nam — quod Pleminii scelera attinet — sacrilegium ei inter alia delicta crimini datum esse dicunt.

Quae tamen sententia cognitis rationibus, quibus Livius fontes suos adhibuit, corrigenda videtur. Ad idem sacrilegium, cuius culpa Pleminio tributa erat, etiam hic locus, quamquam ad commutata tempora relatus est, spectat. Quae cum ita sint, hic locus eo maioris momenti est, quod inde cognoscimus ea, quae antea de sacrilegio Pleminii audientes magnopere desideravimus. Mirum enim nobis visum est, quod Pleminius nullo impediente thesauris sanctissimis manus sacrilegas admoverit. Nunc discimus id clam fieri non potuisse, nisi nocte.

Primo tempore minime notum fuit, quis pecuniam e Proserpinae templo abstulisset. Quo cum loco si comparaveris ea, quae de Pleminii in hoc sacrilegio partibus iam compertum habemus, fieri non potest, quin nomen eius per quoddam tempus in obscuro mansisse dicamus. Cum res percrebruisset, Pleminius sacrilegii crimen sustinuit, ne verus sacrilegii auctor detegeretur. Quem Scipionem fuisse omnia declarare videntur. Accidit enim, ut cum Pleminius omnia scelera contra ius divinum humanumque admitteret, dux eius Scipio esset. Nisi Pleminius in tempore mortuus esset, Romae in senatu non Pleminio, sed Scipioni causa dicenda erat.

Scipio, quocumque modo id perpetravit, non est habendus pro primo, qui pecuniam Proserpinae deae consecratam ad bellum gerendum abstulit. Habuit dux Romanus suum auctorem — si fidem scriptoribus rerum gestarum damus — cuius exemplum secutus est. Pyrrhus a Romanis impius propter id facinus vocatus primus deae thesauris manus admovit. Qui cum ex Sicilia reverteretur, a militibus, stipendium postulantibus, sacrilegium committere coactus est, quam rem nobis Diodorus (XXVII 4) tradit:

> καθ' ὃν γὰρ καιρὸν Πύρρος ἐκ τῆς Σικελίας διεβίβαζε τὰς δυνάμεις εἰς Λοκρούς, καὶ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἀπαιτούμενος τοὺς μισθοὺς ἠναγκάσθη δι' ἀπορίαν ἅψασθαι τῶν χρημάτων.

Quis est, qui neget Scipionem similibus atque Pyrrhum molestiis, ut ita dicam, pecuniariis oppressum esse? Quem non secus atque illum ducem barbarum deae thesauros diripere non esse veritum non est, cur negemus.

Quam conclusionem etiam ea, quae nobis de eius religione Polybius tradidit, confirmant. Apud eum (X 2,12) haec legimus:

> Πόπλιος δὲ παραπλησίως ἐνεργαζόμενος αἰεὶ δόξαν τοῖς πολλοῖς ὡς μετά τινος θείας ἐπιπνοίας ποιούμενος τὰς ἐπιβολάς, εὐθαρσεστέρους καὶ προθυμοτέρους κατεσκεύαζε τοὺς ὑποταττομένους πρὸς τὰ δεινὰ τῶν ἔργων.

Livius Polybium secutus simili modo mores Scipionis depingit (XXVI 19,3 sq.):

> *fuit enim Scipio non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam ab iuventa in ostentationem earum compositus, pleraque apud multitudinem aut per nocturnas visas species aut velut divinitus mente monita agens, sive et ipse capti quadam superstitione animi, sive ut imperia consiliaque velut sorte oraculi missa sine cunctatione exsequerentur.*

Uterque scriptor in Scipione singularem quandam simulandi artem fuisse testatur. Quam dux clarus adhibet, ut se deorum consuetudine quam saepissime uti populo persuadeat. Quae res Scipionem ipsum cum deorum parum verentem monstrat, tum religione populi Romani a maioribus accepta ad sua consilia exsequenda abuti solere docet. Qui si tanta deorum familiaritate utebatur, non fuit, quod Proserpinae deae pecuniam surripere timeret, quam fortasse Carthaginiensibus victis reddere in animo habebat.

Etiam Catonem illum, qui integritate vitae prae ceteris excellebat, cum in Hispania esset, Celtiberis mercedem postulantibus haec dixisse Plutarchus tradidit:

> οὐδὲν — ἔφη — δεινὸν εἶναι. νικῶντας μὲν γὰρ ἀποδώσειν παρὰ τῶν πολεμίων, οὐ παρ' αὐτῶν, ἡττωμένων δὲ μήτε τοὺς ἀπαιτουμένους ἔσεσθαι μήτε τοὺς ἀπαιτοῦντας (*Cato*, 10).

Sed Scipioni, qui operam dabat, ne de sua cum deis familiaritate dubitaretur, enitendum fuit, ut integritatis fama maneret. Quod ut fieret, occasione oblata thesauros deae auferri iussit, sed cavit diligentissime, ne rebus patefactis ipse in crimen sacrilegii incideret.

Adde etiam, quod rem per se ipsam tacendam auctores Livii plane obscuraverunt[6]. Qui his in rebus id praecipue studebant, ne sanctitas nominis Romani contaminaretur. Et si quando acciderat, ut leges sive divinae sive humanae pro publico bono violarentur, non senatus populusque Romanus, sed singuli homines in ius vocabantur. Ita Marcellus consul, qui anno 212 spoliando Syracusas patriam populumque suum locupletavit, a Livio vituperatur[7]. Sp. Postumius, cum foedus cum Samnitibus anno 321 in faucibus Caudinis ictum ruptum esset, culpam rupti foederis a populo in se solum transtulit.

Scipio, quippe qui sibi summum imperium ad bellum gerendum paene arripuisset, non concessisset, ut si sacrilegii argueretur, populi salus a se desereretur. Ita Pleminius ab eo substitutus in ius vocatus est. Sed Pleminius, ne res pro publico bono susceptae neque satis clarae patefierent, de medio removendus erat. Hoc modo antiquissimum Romanorum sacrilegium ab uno homine expiatum numquam claro populi Romani nomini offecit.

Thorunii

---

[6] Cf. Hesselbarth, l. l. p. 566 sq.

[7] XXV 40: *Marcellus ornamenta urbis, signa tabulasque, quibus abundabant Syracusae, Romam devexit: hostium quidem illa spolia et parta belli iura; ceterum inde primum initium mirandi Graecarum artium opera licentiaeque hinc sacra profanaque omnia vulgo spoliandi factum est*; cf. Polyb. IX 10.

DE NUMERO HISTRIONUM PARTIUMQUE IN COMOEDIIS PLAUTINIS QUAESTIONES

Scripsit
MICHAEL SWOBODA

De numero histrionum partiumque in comoediis Plautinis distributione iam multo antea quaesitum est et non intactam iam rem retractare parantes, quid redintegrando hanc quaestionem velimus, haud nescii esse debemus. Omnia in hac re adhuc dicta artiora sunt, in primis autem hoc thema propter certo diiudicandi difficultatem iam diu a viris doctis dereclitum est. Cuius neglectionis causam in ipsa ingrata quaestione positam suspicamur, quae propter inopiam antiquorum fontium non potest diiudicari nisi coniecturis, sustentatis quidem raris grammaticorum enuntiatis, qui maximam partem de Romana comoedia nihil certi plane dicere sciunt. Post rem iam per saeculum fere neglectam — disputatiunculae enim ad hanc quaestionem pertinentes tres partes XIX saeculi non superaverunt — fontibus vetustissimis et praeteritae aetatis doctorum studiis perpensis et critice aestimatis liceat in lucem proferre ea, quae ex hac — primo aspectu iam trita — re exploranda nobis evenerunt. Scimus nos totam quaestionem ad finem perducturos non esse, sed ea, quae prolaturi simus, aliquid lucri studiis scaenicis Romanis allatura speramus. Quod autem de numero actorum et partium distributione quaestiones cum multis artis scaenicae rebus accuratissime coniunguntur, nonnullas earum diligentius perscrutandas esse putavimus, eas scilicet, quae (ut puta de larvarum in theatro Romano usu) adhuc accuratius explicatae non sunt. In studiis nostris Plautinis id novum existimamus, quod etiam in rebus, quae ad artem scaenicam pertinent, investigandis explicationem comoediarum Romani poetae potissimum secuti sumus.

In medias iam res transeuntes perscrutemur initio antiquorum scriptorum testimonia, quibus adducimur, ut numerum histrionum in theatro Plautino numero in Graeco dramate antiquitus constituto maiorem fuisse censeamus.

I

In Aeli Donati Commento Terentii[1] invenimus fragmenta libelli *de fabula*, cuius auctor Euanthius[2], c. II 2, originem et „progressionem" co-

[1] *Aeli Donati quod fertur Commentum Terenti, accedunt Eugraphi Commentum et scholia Bembina*, recensuit Paulus Wessner, Lipsiae 1902 (vol. I), 1905 (vol. II.).

[2] Euanthii aetas definitur secundum Hieronymi testimonium, qui in *Chronicis* ad a. 358 haec scribit: *Euanthius eruditissimus grammaticorum Constantinopoli diem obit.*

moediae tractans de numero quoque personarum dicit haec: *tum altera tum tertia et ad postremum crescente numero per auctores diversos personae, pallae, coturni, socci et ceteri ornatus atque insignia scaenicorum reperta et ad hoc unicuique suus habitus: et ad ultimum, qui primarum partium, qui secundarum, tertiarumque, (qui) quarti loci atque quinti actores essent, distributum.* Quo autem tempore actorum numerus auctus sit, fueritne aliquando maior quam quinque, ex citatis Euanthii verbis non elucet. Ex eis tantum, quae in fine capitis I 6 huiusce libelli legimus: *de his fabulis iam loquamur, quas Terentius imitatus est*, illam progressionem in fabulis, quas Terentius secutus est, finitam iam esse coniectare possumus. Quid autem comoediae Plautinae cum illa artis scaenicae progressione commune habeant, certius diiudicari non potest. Attamen illorum *auctorum diversorum*, de quibus apud Euanthium legimus, qui comoediam non modo variis theatralibus instrumentis inventis, sed etiam numero histrionum aucto locupletaverunt, Plautum quoque vestigia pressisse conicere licet. Quem autem maximum actorum numerum comoediae scriptores usque ad Terentium inclusive introduxerint, Euanthius non dicit. Narrat tantum praeter alia Terentium quattuor personas non ita miscere, ut eas distinguere difficile sit[3]. Quae congruunt cum verbis c. II 2: *unicuique suus habitus*; quae quidem verba unamquamque dramatis personam e proprio habitu cognosci potuisse manifesto declarant. Ceterum id non solius Terentii proprium fuit, sed ut dicit Euanthius (*de fab.* III 4): *personarum leges circa habitum, aetatem, officium, partes agendi nemo diligentius a Terentio custodivit.* Quattuor autem histriones, de quibus Euanthius vcrba fecit, fuerunt plurimi, quibus nostra opinione simul in scaena agere permissum est.

Porphyrio in commento ad Q. Horatii *artis poeticae* versum 192 (*nec quarta loqui persona laboret*) scribit: *tres enim personae tragoediam itemque comoediam peragunt. si tamen quarta interponitur, non loqui debet sed adnuere statimque dimitti.* Eundem Horatii versum Pseudacro quoque his verbis interpretatur: *Non dixit „taceat", sed „non laboret" in loquendo, scilicet quo apertior sit dictio. quarta persona quando inducitur, debet aut non omnino loqui aut non multa loqui. Inducitur autem aut ut annuat aut ut ei aliquid imperetur. Loquentes vero, id est qui ipsam fabulam narrent, non amplius quam tres, licet aliter reperiatur in comoediis et tragoediis.* Recte dicit Steffen[4] contra

---

[3] Euanthius *de fab.* III 8: *illud quoque mirabile in eo, primo quod non ita miscet quattuor personas, ut obscura sit earum distinctio.*

[4] Curtius Steffen, *De actorum in fabulis Terentianis numero et distributione* (Acta Societatis Philologae Lipsiensis a. 1872, t. II fasc. 1, pag. 109—158).

Schmidtii[5] opinionem Horatii verba, quae ex Graecorum poetarum, tragicorum praecipue, usu placitisque nata sint, nihil novi ad hanc quaestionem afferre.

Porphyrionis adnotationes, quas supra laudavimus, Horatium Graecum drama in mente habuisse haud mediocri documento esse possunt, conf. Diomedis *art. gramm.* III p. 490—1 Keil[6], qui de re planissime dicit. Ipse Diomedes (*ars gram.* p. 491,23 Keil) duas aut tres, rarissime quattuor personas in diverbiis admittit: *personae autem diverbiorum aut duae aut tres aut raro quattuor esse debent, ultra augere numerum non licet.* Commemoratus iam Steffen (*op. cit.* p. 110 sq.) Horatium et Diomedem non de totius dramatis personarum numero, sed singularum eius partium scripsisse affirmat. Idem quoque circumscriptum in singulis scaenis histrionum numerum fabulae perspicuitatis gratia constitutum esse asseverat. Confer ipsius verba: *qua in re si immensa illa theatrorum antiquorum spatia reputaveris, ad summam simplicitatem fabulae actionem poetae effingendam fuisse facile intelleges*, quibus ipsam theatri magnitudinem huius simplicis actionis et, quod eam sequitur, exigui actorum numeri causam fuisse explanare vult. Plures comoediae actores memorati sunt ab Aelio Donato, *praef. ad Ter. Hecyram* I 4: *atque in hac primae partes sunt Lachetis, secundae Pamphili, tertiae Phidippi, quartae Parmenonis et deinceps aliarum personarum, quae his adiunctae sunt.* Sed praecedens Donati aeque ac Pseudacronis[7] sequens testimonium, quod in adnotationibus ad Horatii *epist.* I 18, 14 (*vel partes minimum tractare secundas*) invenimus: *secundarum enim partium actores omnia summisse agunt et suppliciter. notandum autem, quia in tragoedia non debent fieri plus quam quinque actus personae*, non potest certo argumento esse, quod omnia antiquorum de hac perdifficili quaestione dicta obscura sunt.

Citatis iam fontibus minime adducimur, ut credamus antiquos scriptores mediocrem quendam histrionum in dramate Romano numerum constituere studuisse, cum praeter Pseudacronem, cuius aetas non est certa, quem autem inter antiquos scriptores numerare minime decet, nullus laudatorum fontium alium dramatis personarum numerum atque quattuor referat aut saepissime id genus mentio-

---

[5] Fr. Schmidt, *Über die Zahl der Schauspieler bei Plautus und Terenz*, Erlangen 1870 (dissertatio nobis ignota).

[6] Diomedes *Ars Gramm.* III p. 490—91 Keil: *in Graeco dramate fere tres personae solae agunt ideoque Horatius ait „ne quarta loqui persona laboret", quia quarta semper muta.* Hoc testimonium pertinet ad numerum actorum aeque in tragoedia ac in comoedia.

[7] *Scholia in Horatium vetustiora* t. II, rec. O. Keller, Lipsiae 1904.

nibus utatur, ut: *deinceps aliarum personarum* (Donatus), *complures personas* (Diomedes). Apud ipsum autem Pseudacronem, si de eo sermo est, uno tantum loco, quo de tragoedia scribit, actorum numerum accurate perscriptum invenimus: *quia in tragoedia non debent fieri plus quam quinque actus personae.* Alio autem loco legimus: *qui ipsam fabulam narrent, non amplius quam tres, licet aliter reperiatur in comoediis et tragoediis.* Apud eundem denique haec occurrunt verba: *quia in comoedia multae personae cum sint.* Ceterum omnia quae protulimus testimonia, excepto Diomede et fortasse Pseudacrone, cuius verba subobscura sunt, Graecum drama tangunt. Eadem tamen documento esse possunt iam in Graeco dramate tres personas ad omnes fabulae partes agendas satis non fuisse.

Consideremus nunc, quid viri docti de hac re censuerint. Quod autem nullae recentes exstant de hac quaestione disputationes, primum memorati iam a nobis Steffeni de ea re opinionem spectemus. Qui cum p. 111 sq. laudatae dissertationis de Euanthii verbis (*de fab.* II 2) diceret, id agere volebat, ut servatusne esset in comoedia Graeca posteriore antiquus trium histrionum numerus, in primis quaereretur.

Tres fuisse actores in Aristophaneis comoediis Beer, Hermann, Fritzsch affirmaverunt. Nonnumquam tamen accidit, ut in comoediis tres actores non sufficerent. Tum adhibita est ratio, de qua apud Pollucem, *Onomast.* IV 110, legimus: ὁπότε μὲν ἀντὶ τετάρτου ὑποκριτοῦ δέοι τινὰ τῶν χορευτῶν εἰπεῖν ἐν ᾠδῇ, παρασκήνιον καλεῖται τὸ πρᾶγμα. εἰ δὲ τέταρτος ὑποκριτής τι παραφθέγξαιτο, τοῦτο παραχορήγημα ὀνομάζεται. Pollucis verba C. F. Hermann diss. sub titulo: *De distributione personarum inter histriones in fabulis Graecis*, p. 40—65, hoc modo interpretatur: παραχορήγημα secundarium munus choragi habetur. Attamen cum in comoedia Graeca chorus deficere coepisset, e coryphaeo quartus legitimus actor factus est. Animadvertit hoc Fritzsch[8], sed quintum actorem non probat. Quamquam Aristophanes — scribere pergit Steffen (*op. cit.*, p. 113) — tribus actoribus utitur, nulla re prohibemur, quominus mediae et novae, quae dicuntur, comoediae quinque actores attribuamus. Idem vir doctus etiam sextum actorem in media et nova comoedia agere potuisse putat, postremo concludit: *sic igitur Graeci ad numerum actorum quinarium pervenerunt, ex quo tamen nihil aliud ad nostram quaestionem colligere poterimus, nisi potuisse Romanos cum ipsis fabulis hunc quoque morem Graecorum in suam scaenam traducere.*

---

[8] Fritzsch, *Quattuor leges scaenicae Graecorum poeseos*, Lipsiae 1858.

Numerus actorum et apud Graecos et apud Romanos circumscriptus fuit: in Graecia lege definitus fuit, quod plures poetae in agone scaenico certabant, *ne in certaminibus illis fabularum poetae alius alio inferiores essent, sed paribus singuli ad fabulam agendam viribus certarent* (Steffen, *op. cit.*, p. 145). Romae vero numerus actorum coercere retur necesse fuit ob eam causam, quod tum, cum Graecorum fabulae Romam pervenerunt, Romani tot actores non habuerunt, ut magistratus, qui ludos scaenicos populo faciebant, tot actoribus, quot personae in fabula essent, partes distribuere possent. Quae condiciones postea essentne immutatae, Steffen ne verbo quidem commemoravit.

Novam comoediam pluribus actoribus eguisse viri docti praeteritae aetatis consentiunt; quin etiam ad nonnullas Aristophanis comoedias agendas adauctum histrionum numerum necessarium fuisse suspicantur eiusque necessitatis documenta in ipsis poetae Graeci fabulis exquirunt. A. Müller[9], ut exemplo utamur, operis sui, quod inscribitur *Die griechischen Bühnenalterthümer*, p. 173 haec scribit: *hinsichtlich der alten Komödie ist mehrfach eine grössere Anzahl von Schauspielern angenommen.* Idem fere dixerunt et Enger[10] et O. Müller[11] et C. F. Hermann[12]. Quorum opinioni assentitur Fr. Leo[13], cum in Aristophanis *Ranis* quattuor actores partes egisse dicit. Idem in comoedia nova quinque aut etiam sex histrionibus opus fuisse asseverat.

Apud Aristotelem nequiquam huius rei argumenta quaeras. En eius verba: ...ἡ δὲ κωμῳδία διὰ τὸ μὴ σπουδάζεσθαι ἐξ ἀρχῆς ἔλαθεν, (*ars poet.* 5). Maiorem actorum numerum mediae et novae comoediae Teuffel[14] adscribit et propter chorum e comoedia remotum id factum esse putat. Quod autem Steffen de histrionum in Romana scaena probabilis numeri investigandi facultate sensit, in dubium vocavit Teuffel. Idem vir diiudicari non posse putavit, cumulavissetne umquam in scaena Romana actor plures partes, an non, nisi forte cum praeter partes sibi commissas etiam prologi personam ageret. Denique A. Müller[15] et Beer[16]

---

[9] Albert Müller, *Die griechischen Bühnenalterthümer* (K. F. Hermanns *Lehrbuch der griechischen Antiquitäten*, III Band), Freiburg, Bd. I (1886).

[10] Enger, *De histrionum in Aristophanis Thesmophoriazusis numero*, Oppeln 1840.

[11] O. Müller, *Griech. Litt.* II, Breslau 1857, p. 205.

[12] K. F. Hermann, Berliner Jahrb. 1843, p. 391, 398.

[13] Fr. Leo, *Plautinische Forschungen*, Berlin 1912, p. 226.

[14] Teuffel-Kroll-Skutsch, *Gesch. der Röm. Litt.* I[6] p. 24.16.4.

[15] *op. cit.*, p. 174.

[16] Beer, *Zahl der Schauspieler bei Aristophanes*, Leipzig 1844, p. 19.

Graecum drama, praeter pauca exempla sive apud Aristophanem sive apud tragicos (Aeschylum: *Prometh.*, *Choeph.*, Sophoclem: *Oed. Colon.*, Euripidem: *Androm.*) occurrentia, quae fabulam pluribus actoribus indiguisse indicant, stabilito trium histrionum numero contentum fuisse dicunt. Romana demum fabula palliata pluribus actoribus utebatur.

Tres personas, in Graeco dramate sanctas, pluribus Romanis fabulis non suffecisse aestimat Warnecke[17], sed quot actores illas fabulas egerint, diiudicare non studet: *aber Versuche, bestimmte Regeln in dieser Hinsicht festzustellen, scheinen verfehlt zu sein. Senecas Tragödien konnten auch nur von drei Schauspielern dargestellt werden, aber Th. Birt sieht gerade hier den besten Beweis, dass sie nicht zur Bühnendarstellung bestimmt waren*[18]. Audacius progreditur Bieber[19], cum dicit actorum numerum ad tres redactum in fabulis Romanis locum habere non potuisse, ut apud Graecos, propter inopiam larvarum scaenicarum, sed singulas in fabula partes singulis histrionibus tribuendas fuisse. Similem sententiam Ernestus Guhl et Guil. Koner[20] iam antea edixerant. Non larvarum scaenicarum inopia, sed pompae amore, ut Diomedes (*ars gramm.* III p. 491, 2 K.): *at Latini scriptores complures personas in fabulas introduxerunt, ut speciosiores frequentia facerent*, actorum numeri augendi necessitatem in fabulis Romanis O. Ribbeck[21] probavit. Ex omnibus antiquis testimoniis adhuc allatis — perobscuris illis quidem — virorumque doctorum enuntiatis, qui de nostra quaestione aliquid disseruerunt, large propositis evenit, ut numerus histrionum in fabulis Romanis agentium sine dubio auctus sit et Romanos iam Graeci, cum a trium actorum consuetudine interdum discederent, praecesserint.

Demonstrandum est igitur, utrum Romani in histrionum numero multiplicando adeo processerint, ut singulas dramatis partes singulis actoribus tribuerent, an forte illud consilium impedimentis quibusdam coërcitum sit. Laudatus iam supra Teuffel (*loc. cit.*) Schmidtium, cuius dissertationem aliunde nobis ignotam nuper commemoravimus, in sin-

---

[17] R. E. Halbb. 16, 2116—2128.

[18] N. Jahrb. f. klass. Alt. 1911, p. 338.

[19] R. E. Halbband 28 (1930), p. 2082.

[20] Ernst Guhl und Wilh. Koner, *Das Leben der Griechen und Römer nach antiken Bildwerken*, Berlin 1862, p. 346.

[21] Otto Ribbeck, *Die Römische Tragödie im Zeitalter der Republik*, Leipzig 1875, p. 657: *Der Bedarf an Schauspielern für jedes einzelne Stück war bei den Römern grösser als bei den Griechen, da sie es liebten die Bühne durch reichere Anzahl von Personen und gelegentlich durch eine grosse Menge von Statisten (operarii) zu füllen.*

gulis Plauti comoediis talem histrionum numerum proposuisse scribit: tres (*Cist. Stich.*), quattuor (*Capt.*, *Epid.*, *Merc.*, *Pseud.*), sex (*Poen.*, *Rud.*). In decem autem comoediis quinos actores idem suspicatus esse traditur. At fabulam *Trinummum* a septem actoribus secundum Ritschelii opinionem, quam Schmidt in hac re secutus est, actam esse dicit.

[Res instituta porro tractabitur.]

Iunivladislaviae

CENSURAE LIBRORUM

TITI LUCRETI CARI DE RERUM NATURA LIBRI SEX. Edited with Progemena, Critical Apparatus, Translation and Commentary by Cyril Bailey I (Prolegomena, Text and Critical Apparatus, Translation; p. XII+1—582), **II (Commentary, Books I—III**; p. 583—1176), **III (Commentary, Books IV—VI, Addenda, Indexes, Bibliography**; p. 1177—1786), Oxford 1947. Reprinted photographically... Oxford 1950 from corrected sheets of the first edition (Price L 4.4 s. net).

C. Bailey Lucreti carmina ita edenda curavit, ut omnia fere de eis iudicia a viris doctis adhuc facta diligenter ponderibus suis examinaret et in usum converteret. Cuius studi et disciplinae conspicua specimina in *Prolegomenis* et *Commentario* et *Apparatu Critico* extant, in ipsius autem poetae versibus propterea minus cernuntur, quod Bailey codicum auctoritatem ut qui maxime secutus est. Omninoque cum viri Lucreti carminum periti non ita raro alii alias easque vel diversissimas sententias in eisdem rebus tulissent, Bailey illorum dissensionibus summa aequitate expositis, ne quid ipse confidentius affirmaret cavere et Academicorum potius, quod videam, dubitandi rationem colere animum induxit.

Velut testimonia, quae ad Lucreti vitam pertinent, incertiora esse dicuntur, quam ut ex eis quicquam praeter hoc unum prudenter colligi possit, poetam priore saeculi a. Chr. n. primi parte dimidia vixisse (cf. *Prol.* , *The Poet*, p. 1,4 sq.). Quod etsi haud scio an generatim atque universe verum sit, tamen non omnia testimonia a viro doctissimo satis perspecta esse iure contendere mihi videor.

Exempli causa haec tam nota Ciceronis verba oculis subicio: ...*Lucreti poëmata, ut scribis, ita sunt*: *multus luminibus ingeni, multae tamen artis. Sed cum veneris. Virum te putabo, si Sallusti Empedoclea legeris, hominem non putabo* (Cic. *Epist. ad Q. fr.* II 9,3). Quo loco Bailey Nordeni opinionem amplexus Lucreti non solum ingenium, sed etiam artem laudari existimavit (cf. *Prol.* p. 2 sq., 170 sq.). At illud *multae tamen artis — multae* dico, non verbi gratia *magnae* — ad vituperationem potius quam laudationem spectat. Quid ? Sallusti *Empedoclea* Cicero nonne ita vituperat, ut verbis ludat et „hominem" „viro" opponat? Hoc ille cur facit? Nempe quia Quintus, cum ad eum de Lucreti poematis scriberet, simili modo verbis lusit et ei, quod est „multis", illud „multae" (i. e. tumidae vel molestae) non inepte opposuit. Cuius lusus ne commoda quidem testimonia desunt, verbi gratia hoc distichon Catulli (112):

Multus homo es, Naso, neque tecum multus homost qui
descendit: Naso, multus es et pathicus.

Accedit quod quia minime dubium est, quin Lucretius Enni vestigia presserit, illud Ovidi (*Trist.* II 424) *Ennius ingenio maximus, arte rudis* ei, quam protuli, interpretationi praesidio esse nemo sane non videt. Itaque quod abhinc annos prope triginta a Q. Cicerone ingenium Lucreti laudari, vituperari artem mihi persuasi (cf. Lucreti carmina in polonicum translata, Varsoviae 1923, p. 1 sq., 199), idem etiam nunc verum esse puto.

Ciceronis verba ad fratrem anno a. Chr. n. quinquagesimo quarto scripta penitus cognoscere propterea nostra tantopere interest, quia nonnulli viri docti eis non solum

Donati (a Reifferscheidio correcti) testimonium, quo Lucretius anno a. Chr. n. quinquagesimo quinto mortuus esse declaretur, prorsus corroborari, sed etiam curae, quam Cicero edendis poëtae carminibus impertiverit, manifestum indicium contineri existimant. Bailey vero utramque opinionem non sine causa inanem esse ratus et Donati testimonium ita compositum inveniri, ut Lucretius — id quod viro doctissimo magis probatur — etiam biennio post diem supremum obire potuerit, et verum poëtae carminum editorem non Ciceronem, sed Atticum fuisse asseverat (cf. *Prol.* p. 3 sq., 18 sq.). Praeterea Bailey in Vitae quam vocant Borgianae latebris antiquae memoriae reliquias quasdam occultari arguit (cf. *Prol.* 2,20 sq.). Qua quidem in Vita cum alia, tum haec exarata occurrunt: ...*Ciceroni vero recentia ostendebat* (scil. Lucretius) *carmina eius limam secutus, a quo inter legendum aliquando admonitus ut in translationibus servaret verecundiam, ex quibus duo potissimum loci referuntur „neptuni lacunas" et „coeli cavernas"* (cf. Lucr. IV 171, VI 252). Recordamur Ciceronis epistulam ad fratrem missam et cernimus similitudinem. Quae quo clarius appareat, considera, quaeso, nihil profecto in illa epistula inesse, quod nisi Lucretius (aut Sallustius) vita defunctus sit, explanari non possit. Itaque Bailey iure recusavit, ne poetam anno a. Chr. n. quinquagesimo quinto mortuum esse sine ulla dubitatione crederet. Immo vero fieri potuisse non equidem nego, ut ambo Cicerones mortui poëtae artem reprehenderent, at certe multo probabilius est eos id illo etiam tum vivo fecisse, praesertim cum sic facillime explicetur, cur Lucretius — hoc enim satis constat — usque ad vitae exitum carminibus suis emendandis supplendis commutandis sollicitam (eandemque subito decessu interruptam) operam dederit.

Sed nolo longus esse. Quae Bailey in altera et tertia *Prolegomenorum* parte de Lucreti carminum fontibus compositione codicibus editionibus (cf. *Prol. The Poem*, p. 22—37, *Manuscripts and Editons*, p. 37—51) disputavit, ea maturis doctrinae et litterarum fructibus abundant. In parte vero quarta, quae est de philosophia (cf. *Prol.* p. 51—72), nescio an illud audacius affirmetur, *animi iniectum* vel *animi iactum liberum* (cf. Lucr. II 739 sq., 1044 sq.) a Lucretio quartae Epicureorum notae, id est τῶν (φανταστικῶν) ἐπιβολῶν τῆς διανοίας, loco habitum esse (cf. *Prol.* p. 54 sq., 59 sq., 67, 142, *Comm.* p. 920, 964, 1267, 1275, 1510). In quinta denique sexta septima parte (cf. *Prol.*, *Grammar*, p. 72—108, *Metre*, p. 109—132, *Style*, p. 132—171) Bailey de sermone atque arte Lucreti disserens cum varias doctorum observationes propriis cognitionibus auxit, tum id maxime egit, ut doceret peculiarem consuetudinem poëtae ad grammaticorum praecepta nequaquam accommodandam aut potius amputandam esse. Hoc quamquam sine dubio et verum et utile est, multis tamen difficultatibus periculisque implicatur. Quid sentiam, paucis exemplis illustrare et explanare conabor.

Versus III 55 sq. ita in codicibus scripti leguntur: ...*quo magis in dubiis hominem spectare periclis — convenit adversisque in rebus noscere qui sit — nam verae voces tum demum pectore ab imo — eliciuntur eripitur persona manare.* Bailey Italos (sicut plurimi editorum) secutus extremum versum ita typis describendum curavit: ...*eliciuntur* ⟨*et*⟩ *eripitur persona, manet res.* At illud *manet res* tam languidum tamque otiosum est, ut a Lucretio plane alienum esse videatur. Mihi certe iam diu constat in eo, quod est *manare* nihil aliud nisi *manu a re* abditum latere (cf. e. c. *Eos* XXVIII 1925, p. 174; in Lucreti carminum editione, quam novem annis post J. Martin comparavit, *manu re* hoc loco scriptum invenitur). Etenim Lucretius rem adversam quasi furiam quandam in vanum mendacemque hominem invehentem fingit, rem, inquam, quae quoniam veritate polleat, firmissima *manu* fallacem et verbis tantum istius hominis personam communitam ilico frangat auferatque. Ne quis autem iambicum vocabulum elisum eamve ipsam *manum*

nimis miretur, consideret velim Lucretium hos versus scripsisse: II 867 sq. *...neque id manifesta refutant — nec contra pugnant, in promptu cognita quae sunt, — sed magis ipsa manu ducunt et credere cogunt* cett.; IV 741 *...verum ubi equi atque hominis casu convenit imago* cett. Itaque illud *manu a re* ad peculiarem dicendi consuetudinem referri potest. Ad eandem consuetudinem incertum est an etiam versus II 911 *...namque alios sensus membrorum respuit omnis* (cod.: *namque ad nos sensus membrorum respicit omnis* Bailey) referri debeat, qui nisi id quod est *omnis* idem atque *omnis* (τοῦ ὅλου, τοῦ παντός) *sensum* valere concedas, intellegi non potest. Quaerat quispiam, quid dixerit Lucretius. Nempe a sensu eius *omnis*, quod verbi causa unum animal esset et ex variis membris constaret, multos eosque inter se certantes et singulis membris insitos sensus liberos respui atque refelli dixit. Quod quo facilius accipiatur, versus II 718 sq. affero: *...sed ne forte putes animalia sola teneri — legibus his, quaedam ratio disterminat omnis* (cod., *...legibus hisce, eadem ratio res terminat omnis* Bailey Bernaysium et Lambinum secutus). Rursus de *omni* et quidem tali eius *ratione* legimus, qua non animalia sola, sed omnia — hoc enim illud *quaedam* significare videtur (cf. e. c. Caes. *B. c.* III 42,1) — corpora ex atomis facta disterminentur. Quae corpora licet e simillimis atomis constent, propterea tamen quin dissimilia inter se et distincta sint facere non posse Lucretius contendit, quia suo quodque eodemque singulari *omni* sive proprio atomorum concilio valeant vigeantque, unde illae tam variae eorum naturae et facultates et leges redundent. Ipse haec quidem litteris mandavit: *...nam veluti tota natura dissimiles sunt — inter se genitae res quaeque, ita quamque necessest — dissimili constare figura principiorum; — non quo multa parum simili sint praedita forma, — sed quia non volgo paria omnibus omnia constant. — semina cum porro distent, differre necessust — intervalla vias conexus pondera plagas — concursus motus, quae non animalia solum — corpora seiungunt, sed terras ac mare totum — secernunt caelumque a terris omne retentant* (II 720 sq.). Ad peculiarem Lucreti consuetudinem illustrandam multum denique lacunarum locus confert. Scilicet poëta leviora longinquae expositionis membra contemnere, contempta omittere solet, quae brevitas lacunarum signis nequaquam obrui debet. Velut post versum verbi causa I 1013 nulla vera lacuna deprehendi videtur. Etenim Lucretius, cum docuisset rerum summam idcirco modum sibi parare non posse, quod corpus solo inani, corpore solo inane finiretur, eaque re effici ut altero finito alterum infinitum una cum ipsa quoque rerum summa evaderet, finiti inanis inanem quaestionem merito, quod videam, supprimendam esse arbitratus, si corpora prima numero finita essent, vix quicquam ex iis in vastissimo illo inani concrescere potuisse protinus ostendit. Qui versus ita decurrunt: *ipsa modum porro sibi rerum summa parare — ne possit, natura tenet, quae corpus inani — et quod inane autem est finiri corpore cogit, — ut sic alternis infinita omnia reddat, — aut etiam alterutrum, nisi terminet alterum eorum, — simplice natura pateat tamen immoderatum* (hic Bailey plerosque viros doctos secutus lacunam hiare statuit): *— nec mare nec tellus neque caeli lucida templa — nec mortale genus nec divum corpora sancta — exiguum possent horai sistere tempus, — nam dispulsa suo de coetu materiai — copia ferretur magnum per inane soluta — sive adeo potius numquam concreta creasset — ullam rem, quoniam cogi disiecta nequisset* (I 1008—1020).

Iam apparet, quam utile sit id quod Bailey optimo iure monuit, codices Lucreti peculiari quadam dicendi consuetudine utentis temere corrigendos non esse. Idem tamen quantis etiam periculis abundet, facile intellegitur. Maximum autem periculum est, ne quis codicibus confisus aperta eorum vitia poëtae culpae tribuat. Quod vereor ne ipse Bailey faciat, cum Friedländeri et Martini vestigia ingressus ad Veneris invocationem (I 1—43) versus I 44—49, ubi dei, qui intermundia incolant, et soli veri et hominum plane

neglegentes dicuntur, a Lucretio additos esse affirmet (cf. *Prol.* p. 167, *Comm.* p. 601 sq., 1749 sq.). Versus sunt hi: *omnis enim per se divum natura necessest — immortali aevo summa cum pace fruatur — semota ab nostris rebus seiunctaque longe. — nam privata dolore omni, privata periclis, — ipsa suis pollens opibus. nil indiga nostri, — nec bene promeritis capitur neque tangitur ira*".

Iidem versus in carmine II (646—651 = I 44—49) et quidem suo loco scripti inveniuntur, sicut vel illud *enim* demonstrat, quod eos apte et commode cum praecedentibus (II 644 sq. *...quae bene et eximie quamvis disposta ferantur, — longe sunt tamen a vera ratione repulsa*; cf. V 406 sq.) coniungit. In carmine I non item. Immo vero plane ineptum est, quia versus I 44—49 et versus I 1—43, quibus Lucretius non solum summam Veneris potestatem praedicat, sed etiam a dea precatur, ut Romanis pacem donare velit, vehementer inter se repugnant. Neque lacunae artificium quicquam prodest. Quippe lacuna ita expleri debet, ut aut Veneris invocatio *longe a vera ratione repulsa* esse dicatur (cf. II 645) aut eidem versus aliam vim in carmine I atque in carmine II habeant. Quorum utrumque displicet, nam alterum dissimilitudinem premit, alterum parum probabile est. Neque facere possum quin hoc praecipue moneam, sobrios ac ieiunos versus I 44—49 ab ardentibus eisdemque ex imo animo petitis versibus I 1—43 non modo in argumentis, sed etiam in affectibus toto genere discrepare. Quod licet eius modi sit, ut nisi quis idem ultro sentiat, inculcari, scripto praesertim, non possit, verum tamen esse non desinit. Itaque mihi quidem I. Voss rem acu tetigisse videtur, cum versus II 646—651 (una cum titulo) Veneris invocationi ab isto malevolo annexos esse iudicaverit, qui Lucretium inconstantiae accusare convincereque vellet.

Quod ad emendationes attinet, quas Bailey suo nomine in medium protulit, hae fere sunt:

I 289 *...grandia saxa ruitque ⟨et⟩ quidquid fluctibus obstat*
744 *...aera solem imbrem terras animalia fruges...*

II 43 *...ornatas⟨que⟩ armis statuas pariterque animatas*
42 *...subsidiis magnis et ecum vi constabilitas...*
252 *...et vetere exoritur ⟨motu⟩ novus ordine certo...*
911 *...namque ad nos sensus membrorum respicit omnis...*

III 531 *...scinditur itque animae haec quoniam natura nec uno...*

IV 823 (*Illud in his rebus vitium vehementer avemus*)
te fugere, errorem vitareque praemetuenter...
961 *...et divisior inter se ac distractior intust.*

V 881 *...hinc illinc partis* (Lachmann) *ut sat par* (Giussani) *esse potissit.*

VI 83 *...versibus; est ratio ⟨terrae⟩ caelique tenenda...*
550 *...nec minus exsultant ipsa ut lapi' cumque viai...* (cf. *Comm. p.* 1758).
605 *...ne pedibus raptim tellus subducta feratur...*
972 *...qua nil est homini quod amariu' fronde vigescat.*

Restat, ut scribendi opportunitate data aliquot lectiones ipse quoque de meo peculio afferam:

II 422 *...omnis enim sensus quae mulcet cumque aditu res* (*videntur* O Q G; *figura* Schneidewin, Bailey; *res*=imago, cf. e. c. I 132, IV 167) cett.

III 238 sq. *...nec tamen haec sat sunt ad sensum cuncta creandum, — nil horum quoniam recipit mens posse creare — sensiferos motus, quidam quae* (*quaedam* O Q, *quodam* V, *quae* O, *que* Q V) *mente* (*et mens quaecumque* Fredrichs, Bailey) *volutat* cett.

Antiquissimi philosophi Graeci motus sensiferos ita explicare conati sunt, ut alii illud ὅμοιον ὁμοίῳ, alii illud ἐναντίον ἐναντίῳ, alii (quorum in numero Democritus fuit) utrumque in usum converterent (cf. Theophr. *De sensu* 1 sq.). Lucretius Epicurum scilicet et Democritum secutus animam eis rebus, quas sentiat, et similem et dissimilem esse affirmat, similem propterea, quod e vapore aura aëre constet (cf. III 231 sq.), dissimilem vero propterea, quod quarta illius natura ab omnibus rebus sub sensum cadentibus plane differat (cf. III 241 sq.). Cum moribundos aura vapore atque aëre mixta deserat, animam ex tribus partibus seu naturis compositam esse res ipsa et sensus docent. Hae tamen vix satisfaciunt rationi, quae cum sensiferi motus nisi similitudini dissimilitudine adiuncta fieri non possint, quartam eandemque tam propriam animae naturam postulat constituitque, ut ab omnibus rebus sub sensum cadentibus prorsus aliena non magis nominis (cf. III 242) quam comprehensionis expers esse debeat. Sic id quod Lucretius mentem recusare dicit, ne quicquam eorum, quae homines mente comprehendant vel volutent, sensiferis motibus creandis par esse concedat, explicari potest.

III 531 sq. ...*scinditur a b s q u e animo* (*atque animo* cod., *itque animae* Munro, Bailey) *haec quoniam natura nec uno — tempore sincera exsistit, mortalis habendast* cett. Cf. e. c. Cic. *Epist. ad Att.* I 19,1, Ps.-Sall. *In Tull.* 3; Quint. VII 2,44.

III 820 ...*quod v i talibus* (*vitalibus* cod., Bailey) *ab rebus munita tenetur* cett. Lucretius, quod videam, de deis intermundia incolentibus cogitat animamque humanam eadem qua illos ratione immortalem esse negat. Quae cum ita sint, lacuna, quam post v. III 823 indicavit Lambinus, in dubium vocari videtur (cf. *De dis Epicuri*, Eos XXXII 1929, p. 103 sq.).

III 962 ...*aequo animoque agedum i a m a n n i s* (*magnis* cod., † *magnis* Bailey) *concede*: *necessest* cett. Cf. III 946 ...*si tibi non a n n i s corpus iam marcet et artus* cett.

IV 760 sq. ...*usque adeo, certe ut videamur cernere eum quem — r e d d i d i t a* (*reddita* cod., *rellicta* Voss, Bailey) *vita iam mors et terra potitast* cett. Lucretius homines e terra natos terrae decendentes reddi, quo munere mors fungatur, dicit docetque.

V 746 sq. ...*tandem bruma nives adfert pigrumque rigorem, — r e p i t* (*redit* cod., *reddit* l 31, Bailey) *hiemps, sequitur crepitans hanc dentibus algu* cett.

V 878 sq. ...*sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo — esse queunt duplici natura et corpore bino — ex alienigenis membris compacta, potestas — hinc illinc p a r, v i s u t n o n p a r s i* (*parvis ut non* O Q, *sit* O, *sat* Q, *pars* O Q; *partis* Lachmann, Bailey, *ut sat par* Giussani, Bailey) *esse potissit* cett. Lucretius ita fere ratiocinatur: si Centauri sunt, humana membra parem atque equina potestatem habeant necesse est (nam si disparem haberent, neque concrescere neque mutuis officiis inter se iuvare possent); si parem potestatem habent, vim etiam ipsam parem habeant necesse est (nam potestas ex vi interiore pendet); atqui illa non parem vim habere vel inde apparet, quod homines maturitatem longe alio atque equi tempore assequuntur (cf. V 882 sq.); ergo neque illa parem potestatem habent neque ulli Centauri sunt. Quod ad ipsa verba pertinet, haec conferas velim: Lucr. I 234... *quod s i i n e o spatio* cett. (cf. I 136, 922, III 6, IV 1188); Lucil. 1234 ...*insidias facere, u t s i hostes sint omnibus omnes* cett.; Terent. *Phorm.* 409 ...*itidem u t cognata s i sit* cett.; Verg. *Aen.* XI 369 ...*concipis et s i adeo* cett.

V 1009 sq. ...*illi imprudentes ipsi sibi saepe venenum — vergebant, nunc dant* ⟨*s a l v i*⟩ *sollertius ipsi* cett. (Bailey Italos secutus ⟨*aliis*⟩ supplendum esse censet).

VI 83 sq. ...*versibus; est ratio c a e l i c a l l i s q u e* (*caelisque* O Q, ⟨*terrae*⟩ *caelique* Bailey) *tenenda — sunt tempestates et fulmina clara canenda* cett. Cf. VI 92 sq. *Tu mihi supremae praescripta ad candida c a l l i s* (O Q, *calcis* Turnebus, Bailey) — *currenti*

spatium praemonstra, callida musa, — Calliope, requies hominum divumque voluptas, — te duce ut insigni capiam cum laude coronam cett.

VI 954 sq. *...denique qua circum caeli lorica coërcet — morbida visque simul qua* (*cum* cod., Bailey) *extrinsecus insinuatur*; — *et tempestate in* (Lachmann, *tempestatem* cod., *tempestates* Avancius, Bailey) *terra caeloque coorta* (cod., *coortae* Avancius, Bailey) — *in caelum terrasque remotae iure faces sunt* (*facessunt* cod., Bailey), — *quandoquidem nihil est nisi raro corpore nexum* cett. Bailey Briegerum secutus post versum VI 954 lacunae signum posuit, quod supervacaneum videtur.

Adam Krokiewicz

Naevius Poëta, Introduzione biobibliografica, testo dei frammenti e commento di Enzo V. Marmorale, seconda edizione, Firenze 1950, pp. 268 (Biblioteca di studi superiori, filol. latina, vol. VIII).

Libellus, cuius censuram facere constitui, primum a. 1945 in lucem prodiit, anno autem 1950 secundis curis ab auctore publici iuris factus est. Constat libellus duabus e partibus, quae inscriptae sunt sic: *Introduzione* (p. 15—18) et *Cn. Naevi fragmenta* (p. 183—261). Praecedit index operum, quibus auctor usus est (p. 7—14). Quid igitur de unaquaque harum partium est iudicandum? Primum dicam de illo capitulo, indicem fontium continente, cuius modo feci mentionem. Atque illud dignum est, quod virum doctissimum tam multa perlegisse moneam, tot opuscula specie nihil cum Naevii vita scriptisque commune habentia attulisse, ut ob tantam acribiam tantamque diligentiam summis laudibus dignus videatur. Itaque non est, quod mirere tantas — ut infra dicam — libelli esse virtutes, cum auctor materiam, undique summa diligentia congestam, paratam habuerit. Tria tamen opuscula utique mentione digna ab auctore nescioquo casu omissa sunt, opuscula dico, e quibus nonnihil lucri capere potuit. Nam disputatiuncula Leonis, bonae frugis plena, quae Gottingae anno 1910 sub titulo *De tragoedia Romana observationes criticae* prodiit, nequaquam praetereunda fuit. Quam si Marmorale perlegisset, non est dubium, quin quorundam tragicorum fragmentorum lectiones aliter perscripturus fuerit, ut ex eis apparebit, quae infra dicentur. Accedit disputatiuncula Georgii Kowalski nostratis, quae inscribitur *De Didone Graeca et Latina*[1]; qui etsi non omnia ita exposuit, ut cunctis probarentur (velut Naevium Didonis Aeneaeque amores depinxisse negavit), tamen eius libellus multa continet, quae Marmoraleio p. 178 sq. de Naevii fontibus disserenti usui esse potuerunt. Nunc memorare velim disputationem Deichgräberi, quae inscribitur *Die Lykurgie des Aischylos*[2], unde Marmorale multa notatu longe dignissima haurire potuit. Quamquam Deichgräber id potissimum egit, ut Aeschyleae tetralogiae argumentum restitueret, tamen cum et *Lycurgum* Naevianam silentio non praeterierit (p. 256—265), vix dubito, quin Marmorale aut de nonnullis fragmentis ex *Lycurgo* Naeviana petitis aliter iudicaturus aut certe Deichgräberi opiniones impugnaturus fuerit. Utcumque foret, nequaquam Deichgräberi disputatiuncula omitti oportuit. Hactenus de libelli Marmoraleiani subsidiis fundamentisque.

Amplissima est ea libelli pars, quam auctor *Introduzione* inscripsit quaque de Naevii vita scriptisque uberrime disseruit. Equidem a vero vix aberrabo, si hoc capitulum

---

[1] Rozprawy Wydziału Filologicznego Polskiej Akademii Umiejętności LXIII, 1, Kraków 1929.

[2] Nachrichten von der Ges. der Wissensch. zu Göttingen, Philol.-Hist. Klasse, N. F., Fachgruppe I, III Bd., 1938/39, p. 231 sqq.

totius libelli esse venustissimum multarumque plenum virtutum dixero. Nam reapse nova eaque plurima ea pars continet, cum auctor, quo est ingenii acumine, scite e parcissimis exilibusque testimoniis permulta ad Naevii vitam scriptaque pertinentia elicere et concludere sit ausus. Non omnia, quae hac parte continentur, ita sunt comparata, ut cunctis possint probari: quaedam audaciora sunt parumque probabilia, quae tamen uberius hoc loco tractare nolo, cum praesertim Leonardus Ferrero — dum prioris editionis facit censuram[3] — omnia satis superque exposuerit. Utcumque haec aestimari possint, certe nemo erit, qui Naevio operam navaturus Marmoralei libellum possit neglegere aut silentio praeterire. De huiusce partis virtutibus satis erit dictum, si hoc unum adiunxero: summae laudi auctori est tribuendum, quod tam accurate tamque copiose disputavit de vita scriptisque poëtae, cuius sola fragmenta aetatem tulere: nam Naevius talem adeptus est „monographiam", quali adhuc carent nonnulli antiqui scriptores, quorum non fragmenta, sed integra opera ad nostram memoriam sunt servata.

Nunc ad alteram libelli partem recensendam transeo, quae Naevii continet fragmenta. Ipsis fragmentis subiectus est apparatus criticus, qui praeter testimonia varias doctorum continet coniecturas; subsequitur commentarius exegeticus, in quo Marmorale de re metrica fragmentorum disputat, vocabulorum vim interpretatur, locos parallelos, qui vocantur, congerit, deperditorum Naevii operum argumenta restituere conatur. Illud equidem viro doctissimo vitio tribuerim, quod sat habuit fragmenta a Ribbeckio (*Tragic. Rom. Fragm.*[3] p. 7—17; *Comic. Rom. Fragm.*[3] p. 6—35) et Morelo (*Fragm. Poet. Lat.*, Lipsiae 1927, p. 17—28) congesta recepisse neque curavit, ut aliunde nova subsidia quaererentur. Quae certe ex accuratissimo glossariorum, quae dicuntur, studio peti potuisse cui ignotum? Iam Lindsay enim monuerat, ne futuri fragmentorum editores glossaria neglegerent neve inde nova subsidia quaerere gravarentur; inter ea cum Ps.-Placidi glossarium praecipuum locum teneret, vir doctissimus editoribus mandaverat, ut in id inquirerent[4]. Quae Lindsayi verba Marmorale neglexit; at si vel Ps.-Placidi glossarium esset perscrutatus, aut aliquot nova frustula Naeviana — exigua illa quidem — esset adeptus aut certe testimonia, fragmentis subiecta, novis auxisset subsidiis. Ut rem exemplis illustrem, quis audeat fidem denegare Ps.-Placidi editoribus — Pirie'um Lindsayumque dico — p. 64 s. lit. „I" v. 2 Ps.-Placidi glossam *In flustris, in portu* ad Naevianum fragmentum *onerariae onustae stabant in flustris* (fr. 48 Ma. = 46 Mo.) referentibus? Itaque Ps.-Placidi glossa testimonio Isidoreo, cui hoc fragmentum debemus, adiungi debuit. Idem dicendum est de glossa *Apluda* (p. 52 s. l. „A" v. 27) corrupta illa quidem, quae et ipsa spectat ad Naevianum fragmentum *non hercle apluda est hodie quam tu nequior* (v. 117 R[3] = fr. 10 *incert. fab. fragm.* Ma.), ut supra laudati editores perspexerunt[5]. Etiam Ps.-Placidi glossam p. 68 s. l. „N" v. 3 obviam: *Numero* : *prope⟨re⟩*, *velociter*, ad versum Naevianum *neminem vidi, qui numero sciret quicquid scito opust* (v. 58 R[3] = fr. 8 *inc. nom. rell.* Ma.) a Festo p. 172 allatum facile rettulerim. Similia plura invenias, quae enumerare taedet. Illud etiam velim admonere nonnihil emolumenti Marmoraleium capturum fuisse, si legisset, quomodo Lindsay quasdam Pauli Diaconi glossas in Parisina Pauli Festique editione supplevisset. Exempli gratia legitur in Marmoralei editione fragmentum Naevianum 55 tr. R[3]=fr. 5 *inc. nom. rell.* Ma.): *in montes ubi venti confrangebant locum*, quod ex Isidori verbis *Orig.* XIV 3, 27 restitutum est. At illud teneas Lindsayum in Parisina editione sic Pauli

---

[3] Rivista di Filol. Class. N. S. XXVI (1948) p. 98—122.
[4] *Glossaria Latina iussu Academiae Britannicae edita*, vol. IV, Paris 1930, p. 10.
[5] Confer, quae ad eiusdem glossarii glossam *iuxta* (p. 65 v. 7) iidem editores adnotaverunt.

glossam *Confrages* supplevisse: *Confrages loca dicuntur in quae undique confluunt venti.* ⟨*Naevius: in montes ubi venti frangebant locum*⟩ (Paul. p. 35 L.)[6]. Itaque par fuit, ut eius generis Pauli glossae a Lindsayo suppletae testimoniis fragmentorum Naevianorum adiungerentur. Nunc ad fragmenta a Marmoraleio edita revertor. Priorem locum tenent, ut viri doctissimi utar verbis, *Fabularum cothurnatarum fragmenta* (p. 185—201), de quibus pauca liceat dicere, nam quorundam fragmentorum lectionem aliter perscribendam esse mihi persuasi. Primum dicam de fragmento ex *Equo Troiano* Naeviana petito (v. 13 R³, p. 189 Ma.). Marmorale Ribbeckium secutus codicum lectionem nulla necessitate cogente mutavit atque vocibus transpositis effecit, ut senarium iambicum posset dimetiri. Quod perperam factum esse aio; nam iam Lindsay scite coniecerat tradita verba ex metro minime laborare, cum efficerent integrum versum Reizianum et quidem hunc:

nūmquam hodie ēffugi|ēs, quin meā || manu moriare[7];

quae cum probe procedere videam atque versus Reiziani apud tragicos quendam fuisse usum — si non magnum, at certe aliquem — mihi iamdudum persuaserim[8], traditae est inhaerendum lectioni neque quicquam mutandum[9].

Nunc de versu ex *Iphigenia* petito (v. 16 R³, p. 191 Ma.) pauca dicam, quem haud scio, an recte sit constitutus: nam codicum Nonianorum consensu fragmentum perperam esse traditum omnibus convenit, sed de versu corrigendo non omnes idem sentiunt. Omnia, quae docti coniecerunt, enumerare longum est, cum praesertim Marmorale in apparatu critico omnes fere doctorum coniecturas attulerit. Unam omisit coniecturam eamque, in qua aliquid veri latere posse videatur — Leonis dico coniecturam. Cum lectio codicum Nonianorum consensu tradita haec sit: *passo vel hoc vicinum aquilone hortum fer foras*, mihi probantur haec Leonis verba: *ubi velo Iunius emendavit, reliqua sana sunt praeter ultimam vocem* (*l. l.*, p. 6 sq.). Itaque cum Leone fragmentum ediderim hoc modo:

passo velo vicinum Aquilone ortum fer ferociter.

Cum Leo vocem *Aquilone* non pro ablativo, sed pro genetivo casu esse habendam scite ostenderit remque non fallacibus coniecturis, verum nube tertiae declinationis genetivorum in illud „e" exeuntium congesta demonstraverit, illa *vicinum Aquilone ortum* sana esse statuendum est. Etenim verba Leonis eam rem explanantis: *vicinum ortum Aquilonis dicit apud Tauros prope Thracas Scythasque*, τόθεν Βορέαο κατᾶιξ ἔρχεται (*l. l.* p. 6), omnibus probari puto. Accedit, quod Leonis opinio optime comprobatur loco quodam *Ibidis*, cuius me discipula mea Halina Szczerkowska admonit, versum dico 11 sq.:

Meque relegatum gelidos Aquilonis ad ortus
non sinit exilio delituisse meo.

Adde, quod Leo versum Naevianum pertinere ad *Iphigeniae* Euripideae versum 1487 dixit, nisi quod poëta Romanus a ventis, ab Euripidea Minerva invocatis (ἴτ' ὦ πνοαί,

---

[6] Confer praeterea Pauli glossas: *Anclabris mensa*, *Consposos*, *Citrosa vestis*, *Diabathra.*

[7] Conf. Lindsay, *Early Latin Verse*, Oxford 1922, p. 279 adn. 2.

[8] Confer meum *Meletematon tragicorum specimen*, Eos XLII (1947) p. 27 sqq.

[9] Warmington codicum lectionem retinuit, sed metro aliter atque Lindsay consuluit; habuit enim fragmentum pro nescioquo versu, cuius exitus desideratur; ea res inde concludi potest, quod Warmington post fragmenti verba aliquot puncta posuit (*Remains of Old Latin*, II, London-Cambridge Mass. 1936, p. 122).

ναυσθλοῦσθε τὸν Ἀγαμέμνονος παῖδ' εἰς Ἀθήνας), ad navem sermonem deflexit. Quae omnia si tecum reputaveris, concedes — credo — hoc in fragmento perscribendo nemini nisi Leoni esse parendum[9a].

Quod ad *Lycurgi* Naevianae fragmentum I attinet (v. 17 R³, p. 191 Ma.), Marmorale Ribbeckio praeeunte dimetitur senarium iambicum, cuius sexta sedes desideratur; esto, haud equidem rem se ita posse habere negaverim, sed non est infitiandum fieri potuisse, ut etiam Eduardus Fraenkel acu rem tangeret, cum de integro dimetro anapaestico cogitaret[10]: *tuos qui celsos terminos tutant*. Ego in Fraenkelii sententiam pedibus eo, Marmoraleio autem vitio do, quod cum Fraenkelium sequi noluisset, certe levissimam mentionem in apparatu critico inicere potuit. In eiusdem fabulae versibus 30 sq. R³ = p. 194 Ma. dimensus est Marmorale septenarium trochaicum; equidem puto rectius decurrere dimetros trochaicos catalecticos, quos et Lindsay[11] et Leo[12] sunt dimensi:

pergite,
Thyrsigerae Bacchae modo,
Bacchico cum schemate[13];

cum hanc tum illam mensuram a codicum verbis minime recedere scito; itaque fieri potest, ut quaeratur, cur Lindsayi Leonisque mensuram verisimiliorem quam Marmoralei esse censeam: reputes tecum, quaeso, verba esse desumpta e Baccharum choro, carmen canente, quod a Naevio septenario trochaico esse inclusum vix — ac ne vix quidem — crediderim, immo melius quadrant dimetri trochaici catalectici, qui reapse cantui destinati sunt quosque Plautum in canticis saepius usurpasse scimus.

Etiam de eiusdem fabulae versu 45 R³=fr. 20 Ma. pauca velim dicere; quod quidem fragmentum Marmorale sic perscripsit, ut a Ribbeckio erat editum. Qui cum codicum Nonianorum consensu traditam lectionem invenisset hanc: *ut videam Volcani opera haec flammis fieri flora*, verba *fieri* et *flora* transposuit, ut septenarium trochaicum capite privatum posset dimetiri[14]. Idem fecit Marmorale. Sed ego codicum lectionem retinendam esse quovis contenderim pignore: nam cum fragmenti sententiam esse probam inter omnes constet, ad coniecturas decurrere solent docti nulla re adducti, nisi ut possint mederi rei metricae, e qua tradita verba laborare videantur. Sed si codicum retinueris scripturam, evadat necesse est metrum hoc:

ut vidēam | Vōlcani opera || haēc flammīs fie|rī flora,

cui quid obiciatur, equidem non video; est enim septenarius anapaesticus, in cuius capite semipes desideratur. Quod in diaeresi versus hiatum exhibet, non est indignandum, cum eiusdem rei in Plauti fabulis sescenta exstent exempla. Accedit, quod res est cum

---

[9a] Nuper nova eius fragmenti corrigendi specimina ediderunt Scaevola Mariotti, Stud. Urb. XXIV (1950) p. 176 et Otto Skutsch, The Class. Rev. N. S. I (1951) p. 146 sq.

[10] R. E. Suppl. VI 1935 col. 633 s. v. *Naevius*.

[11] In editione Nonii, quae a. 1903 Lipsiae apud B. G. Teubnerum prodiit (p. 224, 2 M. = 333, 2 L.).

[12] *l. l.* p. 13.

[13] Eandem mensuram etiam Fraenkel adhibendam esse dixit (*l. l.* p. 633).

[14] Alii aliter fragmentum ediderunt: Lindsay effecit octonarium iambicum mutilatum, cuius sesquipes desideratur (*ut videam Vulcani opera haec flammis fieri flora...*); at Warmington duorum septenariorum frustula agnoscere maluit, modo digesta hoc: *...ut videam Volcani opera haec flammis fieri | flora* (*l. l.* p. 132).

casu ablativo primae declinationis, quem olim in illud ,,d" finale exisse constat; quo fit, ut hiatus aut prorsus tollatur aut certe leniatur. Sed dicet aliquis septenarios anapaesticos vel versus Aristophanios a tragicorum Romanorum usu alienos fuisse. Inveterasse istam falsam opinionem non ignoro, ex quo Lucianus Mueller de versu *ex inc. inc. fab.* 182 disputasset eumque versum a Ps.-Censorino fictum esse dixit[15]. Sed reperiri possunt quaedam eorum versuum vestigia, quae ut sunt pauca, ita certissima nulloque pacto sollicitanda. Quid enim potest vitio dari his Ennianis anapaestis, quos ut Aristophaneos Ribbeck Buechelero auctore edidit:

Acherusia templa alta Orci,
Pallida leto, nubila tenebris loca, salvete, infera ⟨*noctis*⟩[16].

Praeter hunc locum et versum *ex inc. inc. fab.* 182, cuius supra inieci mentionem, nulla Aristophaneorum anapaestorum in Ribbeckiana editione exstant exempla. Sed alii plura invenere: sic *Lycurgi* Naevianae fragmentum XVII (= v. 41 sq. R³) Lindsay Buechelerum secutus tamquam septenarios anapaesticos dimensus est[17] neque aliter fragmento V (= v. 7 sq. R³) ex *Achille* Enniana petito consuluit[18]. Ne sim longus, alia exempla enumerare supersedeo, praesertim cum alia occasione oblata fusius de ea re agere in animum induxerim. Certe septenariorum anapaesticorum tam manifesta apud tragicos exempla inveniuntur, ut nequeat dubitari, quin eodem modo Naevii versus, a quo sumus profecti, dimetiendus sit. Sed iterum admoneo septenarium anapaesticum codicum consensu commendari, cum Ribbeckianus septenarius trochaicus a Marmoraleio receptus aut Onionsianus octonarius iambicus[19] mutatae codicum fidei debeantur. At quis negaverit melius esse traditae inhaerere lectioni, quam coniecturis niti, quae saepe sunt fallaces? Pauca dicam de versu Naeviano *dubii faventem per fretum intro-currimus* (v. 53 tr. R³ = *inc. nom. rel.* fr. 3 Ma.). Marmorale enim hac quoque in re Ribbeckium[20] secutus est atque collato versu Euripidis *Iph. Taur.* 1388 sq. versum Naevianum sine fabulae titulo a Nonio allatum (p. 205, 27, s. v. *fretum*) ad *Iphigeniam* Naevianam redire admonuit. Quam coniecturam etsi veri quadam specie carere non ausim dicere, tamen versum etiam ad *Lycurgum* tragoediam optime quadrare dignum est, quod observetur. Nam quae Diodorus Siculus III 65 tradidit, cum de foedere a Baccho cum Lycurgo, Thracum rege, icto disputaret, ita sunt comparata, ut inde apparere videatur Bacchas mare traiecisse atque a Lycurgo contra fas foedusque captas esse[21]. Cum autem Diodorus disertis profiteatur verbis se mythologicam tractare fa-

---

[15] Fleck. Jahrb. 97 (1868) p. 433.

[16] Metrum a Ribbeckio probe est digestum, Ennii autem verba aliter restituenda videntur; fragmenti textum constituo sic:

Acherusia templa alta Orci
salvete infera pallida leti nubila tenebris loca – ⏑ ⏓.

[17] Nonii edit. p. 547,23 M. = p. 878 L.

[18] Nonii edit. p. 147,19 M. = 215 L.

[19] Onions enim dimensus est octonarium iambicum voce *fervidis* in exitu supleta:

ut videam Volcani opera haec flammis fieri flora ⟨*fervidis*⟩.

[20] *Die römische Tragödie im Zeitalter der Republik*, Leipzig 1875, p. 51.

[21] Μυθολογοῦσι γὰρ τὸν Διόνυσον ἐκ τῆς Ἀσίας μέλλοντα τὴν δύναμιν διαβιβάζειν εἰς τὴν Εὐρώπην, συνθέσθαι φιλίαν πρὸς Λυκοῦργον τὸν Θράκης βασιλέα τῇ ἐφ' Ἑλλησπόντῳ· διαβιβάζοντος δὲ αὐτοῦ πρώτας τὰς βάκχας ὡς εἰς φιλίαν χώραν, τὸν μὲν Λυκοῦργον παραγγεῖλαι τοῖς στρατιώταις νυκτὸς ἐπιθέσθαι... τὸν μὲν Λυκοῦργόν φασιν ἐπιθέμενον ταῖς μαινάσι ἐν τῷ καλουμένῳ Νυσίῳ πάσας ἀποκτεῖναι...

bulam, pronum est suspicari Naeviano fragmento Baccharum, de sua navigatione narrantium, verba posse contineri. Si cui masculinum displicebit genus (*dubii*), cum femininum esse debeat, is meminerit, quaeso, alio eiusdem fabulae loco idem factum esse — fragmentum dico 10 Ma. = v. 33 R³. Itaque nihil videtur obstare, quominus fragmentum Naevianum, quod tractamus, e *Lycurgo* sumptum esse credatur[22].

Subsequuntur *Fabularum Praetextatarum Reliquiae* (p. 202 sq.) et *Fabularum Palliatarum Fragmenta* (p. 204—232), de quibus plura loqui supersedeo, etsi hic illic aliter atque Marmorale fragmentorum textum constituerim aut certe aliter metra descripserim. Reliquam libelli partem *Belli Poenici Fragmenta* (p. 233 sqq.)[23] explent, de quibus paucis dicturus sum. Marmorale eadem fere habet ex hoc poëmate Naeviano fragmenta atque in Moreliana sylloge leguntur duobus fragmentis exceptis; etenim versum illum tritissimum — *fato Metelli fiunt Romae consules* — cum ad *Belli Poenici* libros redire audacius ostendisse sibi visus est (conf. p. 63 sqq.), inter eorum librorum reliquias recepit atque libro sexto adscripsit (p. 254). Accedit fragmentum a Marmoraleio numero 64 signatum, quod apud Morelum desideratur; sunt Festi verba p. 482, 10 L. s. v. *topper* allata, quae reapse Naevii sunt (legitur enim: *C. naevicapesset flammam Volcani*), etsi corruptelam quandam in eis latere quis negaverit[24]? Sed audacis est dicere ea aliunde atque e *Belli Poenici* libris hausta esse non posse. Reliqua horum librorum fragmenta, ut dixi, eadem sunt atque apud Morelum leguntur. Illud disertis verbis monendum est Marmoraleium in textu constituendo ne semel quidem a Moreliana editione recessisse. Sed si fragmentorum spectas ordinem — quo deperditi poëmatis argumentum indicari luce est clarius — longe aliter vir doctissimus rem egit: in ordinandis enim fragmentis ad libros I—III redeuntibus Marmorale Morelum ducem deseruit atque ea pro fundamento habuit, quae ego ante hos sedecim annos de Naeviani carminis argumento et de Naevianorum fragmentorum ordine disserueram[25] atque me verum rei statum perspexisse aperte professus est (p. 175 sqq.)[26]. Quae cum legissem, me non frustra sudavisse vidi, praesertim cum etiam Rowell mihi plausum dedisset meaque inventa novis auxisset argumentis[27]. Ergo Marmorale in fragmentis ordinandis eum secutus est ordinem, quem ego tunc futuro Naevii editori commendaveram duobus locis exceptis, de quibus pauca dicam. Fragmentum 6 Ma. = 34 Mo.: *apud emporium in campo hostium pro moene* cum Naevio nihil commune habere scito, nam Festi codex Ennio fragmentum tribuit (*moene singulariter dixit Ennius*... p. 128 L.); et reapse nequaquam video, cur codici diffisi Ennii nomen in Naevium mutemus. Metrum ei rei minime repugnat — sunt senariorum iambicorum frustula:

---

[22] De eiusdem fabulae versibus 19 R³ (= fr. 6 Ma.) et 25 R³ (= fr. 3 Ma.) cum satis superque in *Melet. Tragic. Specimine* (p. 24 sqq.) disseruerim, nunc iterum agere supersedeo.

[23] Rectissime Leonardus Ferrero in Marmoraleium invectus est, quod genuinum Naeviani operis titulum *Belli Punici Carmen* fuisse negaverat (*l. l.* p. 115).

[24] Equidem sic fragmentum legendum esse censeo, ut in Parisina Lindsayi legitur editione: ⟨*topper saevi*⟩ *capesset flamma*[*m*] *Volcani* (*Gloss. Lat.* IV p. 443) neque video, cur Marmorale maluerit corrupta verba edere, quam hanc Lindsayi sequi editionem.

[25] *De Naeviano Belli Punici carmine quaestiones selectae*, Polska Akad. Umiej. Rozpr. Wydz. Filol. LXV, 2, Kraków 1935.

[26] Quod vir doctissimus p. 175 pro Ladislao Stanislai praenomen falso mihi dedit, facile patior neque ei irascor, cum praesertim p. 13 probe praenominis notam attulerit.

[27] *The original form of Naevius' Bellum Punicum*, Americ. Journ. of Philol. 68 (1947) p. 21 sqq.

⏑ – ⏑ – *apud emporium īn | cāmpo hostiūm*
prō moene;

quo fit, ut fragmentum e fabula (praetextata ?) sumptum esse possit[28]. Vox *emporium* potest pro nomine proprio oppidi haberi, cum Stephanus Byzantius quattuor eius nominis oppida fuisse testetur[29]. Cum e fragmenti verbis dilucide appareat esse sermonem de nescioquibus hostium moenibus, non procul ab Emporio sitis[30], audaciae vix — ac ne vix quidem — arguar, si agi in hoc fragmento de M. Porcii Catonis consulis rebus in Hispania gestis (anno 195 a. Chr., n.) coniecero, de quibus narrat Livius XXXIV 9 sqq. Nam eo tempore castra Romana non procul ab Emporio erant posita, Cato autem eam bellandi rationem instituit, ut cum exercitu e castris egrederetur hostiumque agros omni clade belli pervastaret[31]. Imprimis digna, quae memorentur, Livii verba sunt haec: *castra hiberna III passuum ab Emporiis posuit... inde per occasionem nunc hac parte, nunc illa modico praesidio castris relicto praedatum milites in hostium agros ducebat* (XXXIV 13, 2). Si quis autem quaesierit, quid sibi velint Enniana *hostium pro moene*, sciat intellegenda esse moenia castellorum, quibus hostes pavidi se tenebant; quae hostium castella disertis verbis a Livio memorata sunt: *et hostium magna vis excipiebatur. Nec iam egredi extra munimenta castellorum audebant* (XXXIV, 13,3). Itaque vix reor ambigendum, quin Enniana verba redeant ad Catonis consulis Hispanam expeditionem atque ad vastationem hostilis agri, inter castra Romana et castellum quoddam iacentis. Quae reapse ex *Annalibus* hausta esse potuerunt, ni metrum obstaret[32]. At, ut iam supra dixi, nihil prohibet, quominus de nescioqua fabula praetextata cogitemus, nam numquam possum adduci, ut Ennium praeter *Ambraciam* et *Sabinas* nullam aliam eius generis fabulam dedisse credam. Utcumque est, hoc fragmentum Ennio abiudicare nequaquam licet.

Superest fragmentum 9 Ma. = 17 Mo. Etsi id e prooemio esse sumptum olim dubitanter conieceram, quod Marmoraleio probatum non est (conf. p. 237 sq.), tamen etiam aliter de huius fragmenti origine posse cogitari monui, scilicet coniciendo id esse sumptum e nescioquo vaticinio Aeneae futuros errores praedicente[33]. Atque hanc quidem opinionem Marmorale in rem suam convertit; quo factum est, ut fragmentum numero 9 signaret atque post fragmentum 8 (= 4 Mo.) collocaret. Quod probabile esse et antea dixi[34] et nunc dico atque Marmoraleium acu rem tetigisse aio, cum hoc fragmentum post fragmentum 8 collocasset.

---

[28] *De Naev. Bell. Pun.* p. 10 adn. 5.

[29] Ἐμπόριον, πόλις Κελτική, κτίσμα Μασσαλιωτῶν, δευτέρα Μακεδονίας, τρίτη Σικελίας, τετάρτη Καμπανίας, ὁ πολίτης Ἐμπορίτης (p. 270 Mein.).

[30] Graeci illud oppidum in Hispania situm nomine Ἐμπόριον significare consueverant, cum Romani plurali numero uti mallent, ut essent *Emporiae*. Audi Hübneri explicationem: *Die pluralische Bezeichnung Emporiae wird auf die den Römern auffällige Verbindung der griechischen und iberischen Gemeinde zurückzuführen sein* (R. E. V, 1905, col. 2530).

[31] Conf. Liv. XXXIV 9,13 et XXXIV 11,1.

[32] Nugae enim meraque somnia sunt, quae Aemilius Baehrens de hoc fragmento exposuit, cum hexametrorum frustula modo descripsit hoc (*Fragmenta Poetarum Romanorum*, Lipsiae 1886, p. 13 et 74):

– ⏑⏑ – *apud emporium in campo* ⟨*positum*⟩ *ostium*
pro moene

[33] Conf. *De Naev. Bell. Pun.* etc. p. 15 sqq.

[34] Conf. *l. l.* p. 16 sq.

Quod ad fragmenta 7, 8, 9 Mo. (= 25, 26, 27 Ma.) pertinet, melius fuit ea *Fragmentis incertae sedis* (p. 256 sq.) attribuere; quae Marmorale ad dona ab Aenea Didoni dono data pertinere ratus ad librum II rettulit. Quod quamquam probabile est, tamen nullis argumentis potest comprobari, nam fragmenta ita sunt comparata et tam breviter perscripta, nihil ut in eis inveniatur, quod de solo libro II cogitari iubeat[35].

Hactenus de librorum I—III fragmentis. Librorum IV—VII fragmenta ita Marmorale ordinavit, ut a Morelo erant ordinata, quem Cichorii studia[36] pro fundamento habuisse atque secundum Cichorii interpretationem argumentum restituisse constat. Hic illic Marmorale a Cichorii recessit opinione, hic illic Cichorii interpretationem novis argumentis auxit.

Ad libelli finem pervenimus. Itaque par est, ut censurae nostrae ultimam imponamus manum; sed retineri vix queo, quin disertis admoneam verbis me, quamvis de hoc vel illo fragmento aliter atque Marmorale sentiam — quae res satis apparet ex eis, quae supra sunt exposita — viri doctissimi librum summis in caelum laudibus efferre. Viro „Naevianissimo" me satisfacturum esse puto, si dixerim haec: Marmorale de Naevio interpretando et edendo bene meritus est[37].

Ladislaus Strzelecki

---

[35] Itaque *l. l.* p. 36 monui doctos, ne fragmenta tam breviter perscripta ad certum quendam librum referre auderent; idem etiam Ferrero opinatur (*l. l.* p. 118).

[36] *Die Fragmente historischen Inhalts aus Naevius' Bellum Punicum*, Römische Studien, Leipzig 1922, p. 24 sqq.

[37] Dum iam iterum plagulas corrigo, venit mihi in manus censura eiusdem libelli ab Ottone Skutsch, viro doctissimo, facta (The Class. Rev. N. S. I [1951] p. 174—177), cuius exemplar auctor, qua est erga me comitate, mihi dono miserat. Qui attento animo utramque perlegerit censuram — meam scilicet et Skutschianam — nonnulla ibi communia inesse concedet.

CONSPECTUS MATERIAE

Sinko Thaddaeus: De lineamentis Platonicis in Cebetis q. v. Tabula . . 3—31
Němec Josef: Pindar, *Pythia* VIII . . . . . 33—39
Srebrny Stephanus: De Aeschyli *Heraclidis* . . . . . 41—56
Dziech Iosephus: Graeci qua ratione Indos discripserint . . . . 57—75
Plezia Marian: De Aristotelis epistulis observationes criticae . . . 77—85
Szelest Hanna: De Herodiani clausulis metricis . . . . . 87—92
Strzelecki Ladislaus: De polymetris Senecae canticis quaestiones . . 93—107
Sądej Helena: De versu Asclepiadeo minore apud Romanos obvio . . 109—136
Krysiniel-Józefowicz Barbara: De antiquissimo Romanorum sacrilegio (Livius XXIX c. 6—9. 16—22) . . . . . 137—147
Swoboda Michael: De numero histrionum partiumque in comoediis Plautinis quaestiones . . . . . 149—155
Censurae librorum: *Lucretius, De rerum Natura*, ed. by C. Bailey, Oxford 1947 (1950) — A. Krokiewicz; E. V. Marmorale, *Naevius Poeta*², Firenze 1950 — L. Strzelecki . . . . . 157—169

INDEX AUCTORUM

Dziech Iosephus (Posnaniae) 57
Krokiewicz Adam (Varsaviae) 157
Krysiniel-Józefowicz Barbara (Thorunii) 137
Němec Josef (Pragae Bohemorum) 33
Plezia Marian (Lublini) 77
Sądej Helena (Wratislaviae) 109
Sinko Thaddaeus (Cracoviae) 3
Srebrny Stephanus (Thorunii) 41
Strzelecki Ladislaus (Wratislaviae) 93, 162
Swoboda Michael (Iunivladislaviae) 149
Szelest Hanna (Varsaviae) 87

CONSPECTUS MATERIAE

Sinko Thaddaeus: De lineamentis Platonicis in Cebetis q. v. Tabula . . 3—31
Němec Josef: Pindar, *Pythia* VIII . . . . . 33—39
Srebrny Stephanus: De Aeschyli *Heraclidis* . . . . . 41—56
Dziech Iosephus: Graeci qua ratione Indos discripserint . . . . 57—75
Plezia Marian: De Aristotelis epistulis observationes criticae . . . 77—85
Szelest Hanna: De Herodiani clausulis metricis . . . . . 87—92
Strzelecki Ladislaus: De polymetris Senecae canticis quaestiones . . 93—107
Sądej Helena: De versu Asclepiadeo minore apud Romanos obvio . . 109—136
Krysiniel-Józefowicz Barbara: De antiquissimo Romanorum sacrilegio (Livius XXIX c. 6—9. 16—22) . . . . . 137—147
Swoboda Michael: De numero histrionum partiumque in comoediis Plautinis quaestiones . . . . . 149—155
Censurae librorum: *Lucretius, De rerum Natura*, ed. by C. Bailey, Oxford 1947 (1950) — A. Krokiewicz; E. V. Marmorale, *Naevius Poeta*², Firenze 1950 — L. Strzelecki . . . . . 157—169

INDEX AUCTORUM

Dziech Iosephus (Posnaniae) 57
Krokiewicz Adam (Varsaviae) 157
Krysiniel-Józefowicz Barbara (Thorunii) 137
Němec Josef (Pragae Bohemorum) 33
Plezia Marian (Lublini) 77
Sądej Helena (Wratislaviae) 109
Sinko Thaddaeus (Cracoviae) 3
Srebrny Stephanus (Thorunii) 41
Strzelecki Ladislaus (Wratislaviae) 93, 162
Swoboda Michael (Iunivladislaviae) 149
Szelest Hanna (Varsaviae) 87

Cena zł. 15.

CONSPECTUS MATERIAE VOL. XLIV 1950. fasc. 1.

TABULA DEDICATORIA 3

Dziech Iosephus: De Graecis Brahmanum aestimatoribus 5

Steffen Victor: De Sophoclis *Plyntriis* 17

Biliński Bronislaus: De novo Hyperidis fragmento Nili scholiis Hermogenianis (Par. Gr. Suppl. 670) inserto 25

Łanowski Georgius: De Monostichis Menandri q. d. quaestiones selectae . 35

Ostrowska Ioanna: De rerum mirabilium narrationibus Homericis . . . 75

Strzelecki Ladislaus: Quaestionum orthographicarum specimen . . . 89

Oświecimski Stephanus: Ad litteras Romanas symbolae duae . . . 111

Safarewicz Jan: La valeur phonologique des diphtongues latines . . . 123

Zawadowski Leon: On the Clauses of Pseudo-Purpose 131

Censurae librorum: E. Cazzaniga, *De lapsu Susannae* (*De lapsu virginis consecratae*) ed. ...In aedibus Paraviae 1948; *Note Ambrosianae: Appunti intorno allo stile delle omelie virginali.* Milano 1948 (Karel Svoboda) . . 153

SPIS RZECZY ROCZNIKA XLIV 1950, zesz. 2.

Sinko Tadeusz: Nowa forma enkomion u Lucjana z Samosat [Une nouvelle forme de l'encomion chez Lucien] . . . . . 3—14

Steffen Wiktor: Dramaty satyrowe Sofoklesa [Les drames satyriques de Sophocle] . . . . . 15—39

Wikarjak Jan Na marginesie dramatu satyrowego *Agen* [En marge du drame satyrique *Agen*] . . . . . 41—55

Chodźko-Domaniewska Aleksandra: Problem omfalosa delfickiego [Le problème de l'omphalos de Delphes] . . . . . 57—75

Madyda Władysław: Starożytne teorie metafory i ich aktualność [Les théories antiques de la métaphore et leur actualité]. . . . . 77—101

Oceny [Comptes rendus]: I. M. Tronskij, *Istorija anticznoj litieratury.* Leningrad 1947 — Jerzy Łanowski; *Taciti annales, ed. H. Fuchs.* Frauenfeldiae 1946—1950 — Władysław Strzelecki; J. Sajdak, *Kw. Sept. Florens Tertulian, czasy — życie — dzieła.* Poznań 1949 — Stefan Oświecimski; J. Safarewicz. *Gramatyka historyczna języka łacińskiego cz. II. Składnia.* Warszawa 1950 — Władysław Strzelecki; V. Pisani, *Testi Latini arcaici e volgari con commento glottologico.* Torino 1950 — Jan Safarewicz. . . . . 103—132

Komunikaty: [Communiqués et comptes rendus de la Société Philologique Polonaise 17 VI 1948 — 15 VI 1950] 137

EUS SUPPLEMENTA NUPER EDITA

Vol. 19: Taubenschlag Raphael, The Law of Greco-Roman Egypt in the Light of the Papyri 332 B. C. — 640 A. D., vol. II: Political and Administrative Law. Warsaw 1948, 124 p.

Vol. 20: Bieżuńska-Małowist Iza, Z zagadnień niewolnictwa w okresie hellenistycznym (Quelques problèmes de l'esclavage dans la période hellénistique). Warszawa-Wrocław 1949, 60 p.

Vol. 21: Strzelecki Ladislaus, De Ps.-Capri „Orthographia". Wratislaviae 1949, 49 p.

Vol. 22: Kolář Antonín, Eurytmie u Tacita. Wratislaviae 1949, 43 p.

CHARISTERIA THADDAEO SINKO quinquaginta abhinc annos amplissimis in philosophia honoribus ornato ab amicis collegis discipulis oblata. Varsaviae-Wratislaviae 1951.